



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXXI. De Officio Judicis Ordinarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



# TITVLVS XXXI.

## De Officio Iudicis Ordinarii.



Ordinarii quidem Iudices Ecclesiastici sunt sedis Apostolicæ, tam à Latere, quàm Missi Legati, & Episcopi etiam Vicarius Generalis: at non ratione perpetuæ, & stabilis Dignitatis, Officii vel Magistratus. Horum autem alicujus ratione Ordinariam jurisdictionem in Ecclesia obtinent summus Pontifex, S. R. E. Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archi- & Episcopi, Abbates, & Prælati, aliique Præpositi, præsertim Regulares: quorum officium & potestatem nunc declaratum imus.

### ARTICVLVS I.

#### De Summo Pontifice,

##### SUMMARIUM.

1. *Papa etymon, & significatio.*
2. *Est is Princeps Sæcularis:*
3. *Romana Urbis Particularis,*
4. *Et Christiani Orbis Universalis Episcopus.*
5. *Controversas Fidei à Cathedra docens,*
6. *Etiam sine Concilio infallibiliter definit:*
7. *Estque infallibilis Regula Morum:*
8. *Qua ejus infallibilitas ex sacris Canonibus variè,*

9. *Sed parùm solidè impugnat.*
10. *Errare etiam nequit in Communitate Sanctorum,*
11. *Et Religionum approbatione.*
12. *Condit Leges Ecclesiasticas Universales,*
13. *In iis quo dispensat.*
14. *Secundùm aliquos etiam in Jure Divino:*
15. *Quod alii meliùs negant.*
16. *Simplici Sacerdoti committere potest administrationem Confirmationis.*
17. *Secundùm aliquos etiam celebrationem sub una specie.*
18. *Mutat ritus non substantiati Sacramentorum:*
19. *Generalem Clavium potestatem exercet:*
20. *Et Juxta est omnium Christi Fidei-  
lium.*
21. *Ipsè à nemine judicatur:*
22. *Nisi exciderit Papatu.*
23. *De Dignitatibus, & Beneficiis,*
24. *Ecclesiis, earumque rebus libere disponit.*

**P**apa à Græca voce Πάππας, quæ Patrem, vel potius Avum, & Patrem Patrum significat, sic dictus, secundùm Glossam in Clement. Proem. V. Papa, unde derivatò nomine, aliquando Patriarchæ, imò Archi-



Archi- & Episcopi quicunque nominari: propriè autem & antonomastice solus Romanus Pontifex consuevit appellari, Tholof. *Synag. lib. 15. cap. 2. n. 13.* quod non solum Romanæ, sed Universalis Ecclesiæ antistes, omniumque totius Christiani Orbis fidelium communis pater, Episcopus Episcoporum, & Ordinarius sit Ordinarium, Barbosa *Juris Ecclesiast. lib. 1. cap. 2. n. 19.*

Considerari autem in Papa à DD., præsertim Canonistis, hodie solet persona, & potestas triplex. Una summi Pontificis, sive Episcopi Ecclesiæ Universalis: altera Episcopi Romani: tertia Principis Sæcularis Status Ecclesiastici, Gard. de Luca *Relat. Curie Rom. discurs. 2. n. 1.* Quarum

Postrema, sive Statum Ecclesiasticum spectans, personæ Papalis potestas diffunditur per D. Petri Patrimonium, sive provincias, civitates & oppida, ac terras Ecclesiæ Romanæ, sive ex famigeratâ donatione Constantiniana, *can. Constantinum 13. dist. 96. & c. Fundamenta 17. de Elect. in 6.* sive ex Imperatorum & Principum aliorum liberalit: sive ex ipsorum populorum, adversus barbarorum incursionem, vel contra tyrannorum ipsos in servitutem redigentium injustas oppressiones, defensionis præsidium postulantium ac recipientium, voluntaria deditione, specialiter, tam mediâtè quàm immediâtè, subjectas: quæ ab ipso, tanquam supremo, & independente Principe temporali, per constitutos Magistratus, & Officiales, ferè sicut ab aliis Principibus sæcularibus electivis, in temporalibus superiorem non recognoscentibus, ipsorum dominio, & imperio subjectis, provinciæ, & populi secundum leges & ordinationes Politicas, observatâ personarum, locorum, rerumque Ecclesiasticarum à jurisdictione, &

oneribus laicalibus exemptione & immunitate, gubernantur, Idem *cit. disc. 2. à n. 12.*

Secunda, sive Episcopi Romani, spiritualis & ordinaria jurisdictione per Urbem Romanam, istiusque districtum, olim ad centum, hodie quadraginta duntaxat millia se extendit, & exercetur per Cardinalem Vicarium, Jurisdictionem Episcopalem Ordinariam in non-exemptos, & Extraordinariam, sive Concilii Tridentini decretis & constitutionibus Apostolicis delegatam in exemptos, exceptis non multis Ecclesiis, Monasteriis & aliis piis locis, alicujus Cardinalis regimini & protectioni specialiter commissis, obtinentem, Idem *disc. cit. à n. 4. & disc. 13. n. 2.*

Prima Papalis personæ, sive ejus, tanquam Ecclesiæ Universalis Episcopi, humanarum omnium maxima, à Deo immediâtè accepta, & Christi in terris Vicaria, ordinaria & perpetua potestas ad Christiani Orbis partes & fideles, sive baptizatos omnes se extendit, *can. cuncta per mundum 17. & 18. & can. fin. 9. q. 3.* & à Papa, vel per se immediâtè, vel mediâtè per inferiorum Ecclesiarum Prælatos, aliosque Ordinarios, & Extraordinarios magistratus Ecclesiasticos, in partem sollicitudinis, non in potestatis plenitudinem vocatos & assumptos, exercetur, *can. Quis nesciat 11. dist. 11. can. 1. Sc. dist. 22. can. Qui se scit, 2. q. 6. c. Ad honorem 4. de Auth. Pallii, ut communis & recepta doctrina est TT. & Canonistarum.*

Postremò hõc modò consideratus Papa, sicut præminentia dignitatis, *can. 1. V. Ordo, dist. 21. c. Quamvis 3. dist. 21. & c. Solus 6. de Majorit. & Obd.* sic autoritate & administrationis potestate supra cæteros Ecclesiarum prælatos planè omnes excellit, *can. 1. dist. 19. can.*

N n n n a

19. can.



19. can. Cuncta 17. can. fin. 9. q. 3. Et  
 itiusque speciales prerogativæ permul-  
 tæ sunt.

5. Primò enim certa & infallibilis Re-  
 gula est Veritatis, & supremus iudex Fi-  
 dei controversiarum, & in his publicò  
 iudiciò definiendis errare non potest.  
 Publicò, inquam iudiciò, sive ut DD.  
 loquuntur, è Cathedra definiendis: quod  
 facere censetur, cum super quæstione  
 Fidei doctrinam concernente ad sedem  
 Apostolicam delatà, & maturè discussà,  
 atque examinatà sententiam profert, eam-  
 que non ad unam, alteràmve, sed ad  
 totam & universalem Ecclesiam dirigit,  
 omnesque Christi fideles obligat, ut ita  
 credant, ut rem hanc Canus de *Locis*  
*Theolog. lib. 5. cap. 5. q. 4.* Suarez *De-*  
*fens. Fidei lib. 1. cap. 3. n. 16.* Granadus  
 2. 2. *Controvers. 1. Tract. 7. disp. 2. f. 1.*  
 n. 1. Valent. 2. 2. *disp. 8. q. 1. p. 7. q.*  
 6. à §. 39. *V. Huc accedit*, & novissimè  
 Eugenius Lombardus sive Eminentiss.  
 Card. Sfondratus *Regal. Sacerdot. lib. 3.*  
 §. 1. n. 2. declarant; etsi enim summus  
 Pontifex, ut privatus errare, imò in hæ-  
 resin labi, eamque verbò & scriptò ex-  
 primere privatim possit, ejusmodi ta-  
 men publicæ definitionis sententiã &  
 cum imperio toti Ecclesiæ eam propone-  
 re non potest, singulari Dei providentiã  
 prohibente: sicut quondam Balaam po-  
 pulo Israëlitico, quamvis maximè vel-  
 let, maledicere cum vellet, non vale-  
 bat, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 10.  
 Thoma Waldensii *Lib. 2. Doctrina Fi-*  
*dei à cap. 47.* Turrecremata *Lib. 2. Sum-*  
*ma à cap. 107.* Bellarmino *Lib. 4. de*  
*Summo Pontif. cap. 3. V. De cetero Sua-*  
*rez de Fide disp. 5. f. 8. à n. 9.* maximò  
 consensu defendunt Catholici DD., id  
 desumentes ex verbis Christi, Imprimis  
 Luca cap. 22. v. 32. ubi S. Petro,  
 Ego, inquit, rogavi pro te, ut non de-

ficiat fides tua: Quæ verba non de solo  
 S. Petro, sed de ejus etiam successoribus  
 exaudienda, monet Innocentius III.  
 e. *Majores 3. de Baptismo* cuius Relati-  
 pti Apostolici principium est, *Majores*  
*Ecclesiæ causas, præferim articulos Fidei*  
*contingentes, ad Petri sedem referendos*  
*intelligat; qui eum quærenti Dominus re-*  
*spondisse narrabit, Tu es Christus filius Dei,*  
*virgi: & Pro eo Dominum exorsis, ut*  
*deficeret fides ejus.* Iisdem verbis S. Pe-  
 tro ejusque successoribus sive sedi Apo-  
 stolicæ in Fidei doctrina infallibilitatem  
 à Christo Domino impetratam deo-  
 ri, sex laudatò Innocentio Antiquiores  
 Pontifices Romani ac PP. à Bellarmino  
 cap. 3. cit. congesti tradiderunt. De-  
 de Matth. cap. 16. cujus v. 18. eodem  
 ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram*  
*edificabo Ecclesiam meam:* quæ promi-  
 sione B. Petro facta omnes ejus successoribus  
 res tanquam visibilia Ecclesiæ caput in  
 Fidei soliditate corroborantur, can. *De*  
*Dominus 7. disp. 19.* Demum Joan. cap.  
 21. v. 17. *Pasce oves meas:* quibus S. Pe-  
 tro, ejusque successoribus, sicut Domi-  
 nici gregis pascendi commissa cura, sic  
 tradita est omnis potestas, necessaria ad  
 ritè obeundum munus Pastoris: quod  
 spiritualis, & salutiferæ doctrinæ publi-  
 li exhibitione præcipuè exercetur. No-  
 tio clara est; quòd ex una, cum sum-  
 mus Pontifex veritatem aliquam creden-  
 dam proponit fidelibus, isti teneantur ad-  
 sentire, hoc ipso; quòd aliàs ad regem  
 dam Ecclesiam sufficientem auctoritatem  
 non haberet: ex altera verò parte, ad  
 assensum falso dogmati præbendum, obli-  
 gari Ecclesia non possit; quia aliàs ex-  
 rare tota Ecclesia posset; quod repu-  
 gnat divinæ providentiæ, & promissio-  
 ni, Luca cap. 22. v. 32. v. 15. & pro-  
 nuntiato S. Gentium Doctoris, *Eccle-*  
*siam Firmamentum, & columnam Ve-*  
*ritatis*



ritatis appellantis 1. *Timorb. cap. 3. v. 15.* Unde

6. Dubium & nominis ac momenti maximi controversia oritur, an summus Pontifex in Fidei controversiis definiendis infallibilis sit independenter à Concilio; hoc enim post Alphonsi, à Castro *Lib. 1. cap. 2. contra Hæreses*, Gerfonem & Almainum in *Lib. de potest. Eccles.* & alios quosdam, præsertim Sorbonicos DD. Archi- & Episcoporum Conventus, 1682. Parisiis congregatus, negabat. Contrà cum *cit. S. Thoma art. 10.* Waldensibus, Suarez indubitatè affirmant cæteri TT. ferè omnes, contrarium dogma variis censuris notantes addeò, ut RR. aliqui eam absolutè hæreticam, Bellarminus *cit. Lib. 4. cap. 2. in fine*, eam erroneam & hæresi proximam: contrà, Summi Pontificis è Cathedra definiens infallibilitatem propugnantium doctrinam certissimam, merito appellet, & *cit. cap. 3. latè atque accuratè* confirmet. Primò ex Divini oraculi textibus allegatis *Matth. cap. 16. v. 18.* & *Lucæ cap. 22. v. 32.* quorum posteriori S. Petro, unâ ejus (in eòque successorum) personâ designatâ, speciale privilegium, ne in fide unquam deficiat, se impetratum pollicetur: priori idem constitutus est Petra, & Fundamentum Ecclesiæ, ne adversus eam inferi prævalere; ac proinde, ne ea ruere & errare possit; Si enim, inquit Origenes in *textum cit. porta inferi prævalerent adversu petram, in qua Ecclesia fundata est, etiam contra Ecclesiam prævalerent*: utroque autem & *Joan. cap. 21. v. 17.* aliisque ejusmodi textibus, S. Petro factas promissiones divinas, ad ejus successores pertinere, Orthodoxorum DD. sententia & fidelium sensus unanims est. Secundo, ex Decretis multorum Conciliorum, antiquissimis & maximæ autoritatis sanctionibus Canonice, SS. PP. & Ecclesiæ

DD. numerò & nomine prævalentium, perquam luculentis testimoniis à Bellarmino *cit. cap. 3.* & Sfondrato *cit. Lib. 3. §. 4. & 5.* relatis. Tertio ratione, partim; quia, negatâ hæc summi Pontificis è Cathedra docentis infallibilitate, Ecclesia omni controversiarum Fidei iudice destituta; ac proinde de suâ doctrinæ veritate nunquam certa esset; quia de hac certa reddi non potest à spiritu cujusque privato, hòc ipsò; quod iste non in omnibus sit idem, sed ista his, aliis alia, & ferè sibi contraria diceret: neque etiam à Conciliis Generalibus, cum; quia ista difficilimè & rarissimè coguntur: & de coactis dubium ferè controversumque est, an Universalia, in Spiritu sancto legitimè congregata & quæ in iis decernuntur, præviâ PP. discussione iustoque suffragiorum numerò sint approbata: tum verò; quia ipsa Concilia legitima, eorùmque decreta verè Conciliaria esse, non aliunde quàm ex solius sedis Apostolicæ, sive summi Pontificis testimonio & confirmatione habetur, *c. Significasti 4. de Elect.* Partim verò; quia Dominus Deus summum Pontificem, Christi, qui ipsa Veritas est, in terris Vicarium, totius corporis Ecclesiastici caput & Universalis Ecclesiæ omniumque Christi fidelium Pastorem & Magistrum constituit, *can. Non liceat 1. dist. 12. can. Sic omnes 2. dist. 19. can. A recta 9. c. 24. q. 1. c. Majores cit. pr. c. Unic. de Summa Trinitate c. 1. pr. de Homicid. in 6. & Decretis Conciliorum, Constantiensis Sess. 8. cap. 37. Florent. Sess. ult. in fine, Tridentini Sess. 7. can. 3.* qualis summus Pontifex, si in controversiarum Fidei quæstionibus definitionibus independenter à Concilio infallibilis non esset, quomodo esse possit, non apparet. Quartò demum, constanti & ab ipso Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata praxi usque; quia impri-

Na nn 3 mis, qui



mis, qui Romanæ sedis sive summi Pontificis definitiones non receperunt, semper pro Hæreticis, & Schismaticis ab Ecclesia habebantur. Deinde, sancti Patres, Ecclesiarum prælati & DD. ortâ aliquâ de Fidei rebus dubitatione, ut ab hæreseos labe & periculo essent immunes, B. Petri sedem tanquam sanæ doctrinæ & veritatis Regulam respiciebant: quod ista docebat, amplectebantur: & quod ea damnabat, à se damnari profitebantur. Præterea, erroneo aliquo dogmate se prodecente, alterutram partem tuentium impugnantiumve concertationes antè non remiserunt, quàm sedis Apostolicæ iudicio controversia decideretur: eâ verò decisa, velut signò receptui datò, certamini finis impositus fuit, ut eruditè exequitur laudatus Sfondratus §. 7. à n. 2. Et demum, à primis sæculis identidem subnatæ multæ hæreses, non Conciliari, sed sedis Apostolicæ autoritate sunt condemnatæ: & Concilia Generalia & alia, quæ alicujus autoritatis in Ecclesia unquam fuerunt, ab eadem sede congregata sunt & confirmata: contra ab eadem sede non pauca, Acephala & à fide Christiana aliena, Ecclesiâ ejus iudicium approbante & amplectente, sunt reprobata, ut pari eruditionis laude ostendit, Richard. Arsdekin *Theolog. tripart. q. 2. n. 5.* Unde

7. Secundo, Papa, ut Universalis Ecclesiæ Episcopus, est infallibilis Regula Morum; ut ejus decreta, quibus, aliquid honestum licitumque, aut illicitum & inhonestum esse, decidit, & ut tale, Universalis Ecclesiæ fidelibus publicè proponit, præcipit vel prohibet, vera & nulli errori obnoxia sint, ut ex suprâ *citt.* textibus sacris & ex illa etiam æternæ Veritatis sententia, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, Joan. cap. 16. v. 13.* colligitur, & iuadet ratio publicæ necessitatis; cum enim

summi Pontificis decreta & Regula, quæ ad Mores pertinent, ab omnibus ratibenda, ab iisque deviare, gravissimum pecculū sit, juxta *can. 1. dist. 12. & c. 1. de Constitut.* & illud; *Quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, Matth. cap. 23. v. 3.* ne Ecclesia gravissimis damnis, & perpetuis animarum periculis & dispendiis objiceretur, necessarium omnino fuit, ut in hujusmodi decretis summi Pontificis autoritas omninò infallibilis esset. Confirmatur hæc ratio; quia Orthodoxæ dei doctrina est, summum Pontificem errare non posse in pacendis omnibus; hæc autem non solius Fidei, sed Morum quoque doctrinâ pacuntur; ut ad illam in Morum quoque doctrinâ universis fidelibus proponenda errori non esse obnoxium, sit necesse, ut late ostendunt *Conus Loc. Theolog. Lib. 5. cap. 5. Bellarm. cit. Lib. 4. cap. 5. & Bozius de Significat. eles. Lib. 16. cap. 8. & Lib. 18. cap. 6.*

Hæc tamen summorum Pontificum, in Fidei Morumque controversiis defendendis, infallibilitas ab Heterodoxis variè impugnatur, & ex Jure etiam notorio ei opponuntur varii in Divino Jure errores. Primò enim Gregorius III. obnoxioris, debitum conjugale reddere non volentis, infirmitatem marito, si se continere non valeat, aliam ducere permittit, *can. Quod proposuisti 32. q. 7.* Secundo, Galianus Papa communionem sub utraque specie necessariò servandam, & separationem illarum sine sacrilegio fieri non posse, Majorico & Joanni Episcopis redscriptis, *can. Comperimus 12. dist. 2. de Constitut.* Tertio, Baptismum in nomine sanctæ Trinitatis vel tantum in Christi nomine, sine trium Personarum expressione, collatum pro valido aperte habet, dum eos, quibus ita collatus est, non esse denuò baptizandos, respondit ad Consulta Bulgaria *cap. 104. relato can. de quodam Judæo 24.*



*Judas 24. dist. 4. de Consecr.* Quarto, leges Civiles, quas duobus tribusve plures testes ad valorem testamenti exposcunt, & omnino justæ sunt, à lege Divina esse alienas, Alexandri III. rescriptum est *c. Cum esses 10. de Testament.* Quinto, matrimonium inicum cum una & ratum, aliò cum alia contractò & consummatò, dissolvitur, à Prædecessoribus suis judicatum, testis est idem Papa Alexander, *c. Licet 3. de Sponsa duor.* Sextò, fidelium matrimonia, conjugum alterò in hæresin lapsò vel transeunte ad gentilitatis errorem, dissolvi, Cælestinus III. sensisse perhibetur ab Innocentio III. *c. Quando 7. junctà Glossa V. Prædecessor, de Divortis.* Septimò, Christum Dominum perfectam Paupertatem, in abdicatione omnis domini tam in communi quàm in particulari consistentem, verbò & exemplo docuisse, Nicolai III. vel potius IV. doctrina est, *c. Exiit 3. de V. S. in 6.* Hæreseos condemnata *Extravag. Cum inter 4. Quia quorundam 5. Joannis XXII. eadem Rubr. quâ labe ex relatis pleraque dogmata etiam laborant.*

Sed ista, quantamcumque veri speciem præferant, ad convellendam tamen, aut labefactandam summorum Ecclesiæ antistitum & Christi in terris Vicariorum in definitionibus illis infallibilitatem non proficiunt; cum, qui illis imputantur, errores merè privati: non Definitivi, sive toti Ecclesiæ & fidelibus universis tanquam divinitus revelata dogmata, cum imperio seu præcepto ad ita sentiendum obligante, propositi sint. De quo ut planius constet, ipsis imputatos errores singulos obiter attingere juvabit.

Nam primò, *can. Quod proposuisti* est, præterquam; quòd non universis fidelibus propositam definitionem, sed particulare duntaxat rescriptum contineat, vel de muliere necdum cognita, & de

nuptiis propter ejus infirmitatem cum alia, per viam dispensationis in matrimonio solum Rato, marito permissis, cum Glossa *in can. cit. V. Nubat & Barbosa ibid. n. 2.* vel cum Cano *Lib. 6. de Loc. Theolog. cap. 8. n. 8.* de muliere, correpta infirmitate arctitudinis & ad conjugale debitum marito reddendum inepta, est exaudiendus, ut dicetur *Lib. 4. tit. 8. num. 5.*

Secundò, *can. Comperimus* cit. textu Gelasium de solis Sacerdotibus locutum, indicat ei præfixa summa, *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere*, & cum Glossa *V. Aut integra* notant Turrecremata *ibi n. 2. in fine & S. Thomas 3. p. 2. q. 80. art. 12. ad 1. &*, si eò de laicis sermo esset, inde tamen memoratus Papa erroris non convinceretur; quòd *can. cit.* solum redarguat illos, qui Manichæos, damnabili errore vinum tanquam fel detestantes principem tenebrarum, secuti Sacramenti Eucharistiæ sumptione sub specie vini abstinebant; itaque panis & vini species sacrilegâ superstitione dividebant: qui *can. cit.* intellectus desumitur ex ejus verbis, *Nescio qua superstitione*, ut advertunt Bellarm. *de Sacram. Eucharistiæ. cap. 26. §. Undecimò & Valentia Tom. 4. dist. 6. q. 8. S. 9. V. Undecimò.*

Tertiò, licet *can. A quodam* cit. Baptisum, solò Trinitatis vel Christi aut JESU nomine expressò collatum, valore non destitui, Nicolaus I. senserit, inde tamen ejus in Fidei & Morum questionibus definiendis infallibitas non adducitur in discrimen, cum; quia id non è Cathedra definiendò tanquam Fidei dogma universis fidelibus credendum cum imperio proposuit: tum vero; quia sub illa tantum expressione Baptisum invalidè administrari, necdum est definitum; cum ejus valorem cum Magistro Sentent.



Sentent. in 4. dist. 3. graves TT. propugnent, aliis eorum Opinionem, non tanquam erroneam, sed tanquam multò, quàm est opposita, minùs probabilem impugnantibus. Accedit; quòd *can. cit.* Papa Bulgaris rescribere solùm intendit, Baptisum, debità materià & formà adhibità collatum à Judæo, non reperendum ex eo; quòd ejus minister non fuerit Christianus. Quod autem, sine singularum personarum Divinarum distincta mentione, sanctæ Trinitatis vel Christi nomine expressò collatus valeat, decidere non intendit; sed S. Ambrosium secutus supposuit, non attentà doctrinà Pelagii & Zachariæ PP. aliter sentientium, *can. Si revera 24. & can. In Synodo 81. dist. 4. cit.* Quæ Cani *cit. cap. 8. ad 7.* expositio aliis præferetur *Lib. 3. tit. 41. num. 18.*

Quartò, *c. Cum esses cit.* leges Civiles, testium septenarium vel quinarium ad testamenti solennis valorem exposcentes, à lege Divina esse alienas, Alexander III. rescripsit, non; quòd sint contra; sed; quòd præter eam legem, duorum triumve testimonio acquiescentem, Deuteron. *cap. 17. v. 6. & Matth. cap. 18. v. 16.* exigant testium numerum majorem: quem exigi Divina lex nuspiam vetat, ut ostendatur & firmabitur *Lib. 3. tit. 26. n. 65.*

Quintò, *c. Licet cit.* de matrimonio cum una rato, & cum altera consummato Prædecessores suos aliter judicasse, & contra ratù pronuntiassè pro valore consummati, idem Papa asserit, non per questionis definitionem factam è Cathedra vel constitutionem, universam Ecclesiam ad matrimonium consummatum pro valido habendum obligante; cum talis non extet: sed solummodo per litis inter aliquos motæ judicalem decisionem, ut Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 3. n. 5.* & alius relatis Barbola in *c. cit. n. 5.* vel

ut Wagnereck in *c. cit. v. Alter vult, per matrimonii cum una rato, propter sublequens & consummatum cum alia, ex gravi causa per viam dispensationis factam dissolutionem.*

Sextò, simili modò à Cælestino III. circa dissolutionem conjugii eorum, quorum alter in hæresin est lapsus, vel transit ad Gentilitatem, nihil definitum, liquet ex *c. Quantò cit.* verbis, *Licet quædam Prædecessor noster aliter sensisse videtur, sensisse tantùm, ait textus: non definitur quia à Cælestino ea de re aliquid definitum non reperitur.* Sicut nec qui sensui contrarium *c. cit.* Innocentius III. finivit, dum, *Non credimus, inquit, quòd is fidelis, qui relinquitur, vivente altero, qui lapsus est in hæresin, vel ad gentilitatem transit, possit ad secundam uxorem convolare;* cum; quia id certum est, non affirmat: tum verò; quia ex eo quòd aliquid Juris Corpori insertum sit, non inferitur, id tanquam Fidei dogma esse definitum; cum in Corpus illud verba sint multa, quæ summi Pontifices, non tanquam Fidei articulos, sed solummodo tanquam communem aliorum aut priorum sententiam reulerunt, ut Cælestinus *cit. cap. 8. ad 2. Azor p. 2. Institut. lib. 5. cap. 4. §. 3.* eosque secuti Barbola in *c. cit. n. 2.* Wagnereck *ibid. p. 8. Perring ad Rubr. de Divortio n. 34.* observant.

Septimò denum, *c. Exiit & Estren. cum inter 4. & c. cit.* textus facile in concordiam reducuntur; quia priori Nicolaus IV. distinguit inter duos Pauperum gradus, quos Christus Dominus vetitò & exemplo docuit temporibus diversis; aliquando enim rigidam illam & perfectam, ullam proprietatem tam in communi quàm in particulari non admittentem, docuit, ut, cum discipulis ad prædicandum missis dixit, *Nolite possidere au-*



rum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, Math cap 10. v. 9. & Filius hominis non habet ubi caput reclinet, Luca cap. 9. v. 58. quò tempore ipsi & Apostolis nihil, tam in communi quàm in particulari habentibus, necessaria vitæ subsidia devota scemina ipsam secuta ministrabant: aliquando Paupertatem minus rigidam, in communi aliquid admittentem, est professus & loculos sive proprium in communi habuit, ut Joan. cap. 13. v. 29. junctis can. Exemplum 12. & can. Habebat 17. pr. 12. q. 1. posterioribus sive Extravag. cit. Joannes XXII. hæreticum esse, ait, negare Christum Dominum & Apostolos in communi & in speciali aliqua habuisse: non verò damnat sententiam eorum, qui asserunt Christum aliquando rigidam illam & perfectam Paupertatem, neque in communi neque in particulari proprium admittentem, verbò & exemplo docuisse; ut adeò inter memoratos summos Ecclesie Antistites hac in re non fuerit contradictio vel pugna, ut cum Cano cap. cit. ad 6. probè advertunt Barbosa cit. cap. 2. n. 63. & Wagnereck in c. Exiit cit. nos. 4.

10. Tertiò, summus Pontifex etiam infallibilis, & nulli errori obnoxius est in Canonizatione Sanctorum, ut cum Angelico, & aliis primæ notæ DD. tradunt Bellarminus de Eccles. Triumph. Lib. 1. cap. 9. Valentia 2. 2. q. 1. art. 10. & Jacobus Castell. de Canonizatione Sanctorum q. 9. art. 3. Ratio est partim; quòd Sanctos invocandos, eorumque reliquias esse venerandas, sit de fide: quibus autem veneratio, & invocatio competat, declarare ad Ecclesiam spectat, c. 1. de Reliq. & Venerat. Sanct. c. Unico eòdem in 6. & Concil. Trident. Sess. 25. decreto de Invocat. Sanct. partim verò; quòd, aliquò Canonizatio, Ecclesia obligetur ad creden-

dum, eum in cœlis, Dei amicum & venerandum esse; ac proinde Papam, sicut in Fidei Morumque doctrina, sic etiam in Sanctorum Canonizatione infallibilem esse, sit necesse.

Neque, ut primò occurru videtur, cum hac veritate pugnat; quòd Sanctorum Canonizatio procedat ex testimoniis de sanctitate vitæ & miraculis eorum, quò solenni ritu in Sanctorum numerum referuntur: quæ tanquam merè humana fallacia esse possunt; quia Canonizatio non fundatur in veritate illorum testimoniorum & miraculorum præsertim, sed in sanctitate vitæ: circa quam ne Papa etiam humano modò procedens erret, facit specialis instinctus & assistentia Spiritus sancti in iis, quæ universalis Ecclesie Religionem & Sanctorum venerationem atque invocationem concernunt, ut aliis DD. relatis observant Barbosa cit. cap. 2. n. 43. & Palao Tract. 4. disp. 1. p. 7. §. 4. num. 3.

Quartò, etiam infallibilis est in approbatione, & confirmatione Religionum, saltem quoad pertinentia ad veritatem doctrinæ, honestatem Instituti, istiusque ad spiritualem animæ salutem & ad perfectionem consequendam conducuntiam, ut ex communi multorum sensu docent Rodriquez Tom. 1. Regular. q. 1. art. 4. Valentia 2. 2. disp. & quest. 1. p. 7. §. 4. & Azor p. 2. Instit. lib. 5. cap. 7. q. 2. Ratio est; quia error circa hujusmodi approbationem & confirmationem secum trahit errorem circa doctrinam Fidei & Morum, in summum Pontificem & Christi in terris Vicarium, quæ talem non cadentem.

Neque hanc Papæ infallibilitatem convellit aut ancipitem reddit; quòd aliqua Religiones cum tempore authoritate etiam Apostolicâ abolitæ & extinctæ: imò ea, quæ Fratricellorum & Fratrum de paupere



paupere vita nuncupata, & à Cælestino V. approbata fuit, à Joanne XXII. tanquam erronea & impia damnata sit, *Extravag. unica* ipsius; de *Relig. domib.* quàm enim hoc primò intuitu speciosum, tam viribus vacuum est argumentum, si accuratius ponderetur; quia hæc Fraticellorù Religio à Cælestino approbata falsò asserbatur, utiple Joannes Papa insinuat *Extravag. cit. V. Pratendentes* & notat *Glossa V. Eodem & V. Approbatum*: & licet ab illo approbatum fuisset Institutum, damnari tamen Religio postea meruit, propter erronea & impia dogmata & observantias suppressas, aut primæ institutioni præsumptuosâ temeritate postea accedentes, Aliæ verò, etiam quoad Institutum seu Regulas & primævam istarum observantiam laudabiles & sanctæ Religionis cum tempore Apostolicâ Authoritate abolitæ & extinctæ sunt, partim; quòd earum alumni & sectatores ab Instituto sui observantia recesserint & fidelibus scandalo esse ceperint, *Barbosa cit. cap. 2. n. 46. in fine*: partim verò; quòd, aliis aliisque & novis Religionibus subnascèntibus, nimia earum multitudo in Ecclesia induxerit confusionem, ut probè agnovere Innocentius III. *c. fin. de Relig. domib.* & Gregorius X. *c. Unic. pr. eadem Rubr. in 6.* atque idcirco ab isto; ne effrenatâ illarum multiplicatione inducta confusio propagaretur, *pr. cit.* non solum novarum adinventio inhibita & inventarum approbatio iudicio Apostolico reservata: sed privatâ & præsumptuosâ autoritate adinventæ, fuerint revocatæ.

12. Quintò, idem Papa, quatenus Universalis Ecclesiæ Episcopus est, legestam Ecclesiam obligantes condendi habet potestatem, juxta dicta *Tit. 2. n. 21.* & 13. contrà leges Ecclesiasticas quascunque relaxandi; ac proinde in omnibus SS. Ordinum & Matrimoniorum impedimentis

aliisque inhabilitatibus & nullitatibus, sive à Conciliis etiam Generalibus, sive à Prædecessoribus suis, & ab ipsis etiam Apostolis introductis, ex justâ causâ licet, sine ea saltem validè dispensare valeat, ut ex communi DD. sensu docent *Suarez Lib. 6. de LL. cap. 19. n. 6. & Lib. 10. cap. 14. n. 2.* & *Salas de LL. disp. 20. f. 3. m. 6. f. 4. n. 37.* Ratio est; quia quibusvisque suis Prædecessoribus, imò etiam Apostolis earum Conditionibus, jurisdictione inferior non est. Quòd confirmatur exemplò præcepti Apostolici de bigamo, neophyto, percussore & multo magis homicidâ non ordinandis, *1. 1. mot. cap. 3. v. 3.* in quo à Papa dispensari posse, cum Covarruvia & aliis DD. multis *Barbosa Jur. Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 126.* & Ecclesiæ praxis docet.

Neque advertatur; quòd Papa, præter statuta usque ad animam & linguam tueri debere, dicatur *can. Sicut prædam 6.* contra ea aliquid statueret, immutare posse, negetur *can. Contra 7. de 25. q. 1.* quia hæc eisque similes auctoriorum SS. Pontificum sententiæ de præteritis statutis, Fidei Morumque doctrinam & alia Naturalis ac Divini Juris præcepta concernentibus, exaudiendæ sunt eodémque sensu quatuor Concilia, scilicet quatuor Evangelia, suscipienda *can. Sicut 2. dist. 15.* ut rectè advertunt *Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 6. § 9. Azor p. 2. de Sicut lib. 5. cap. 14. q. 4. V. Si obsequia & Barbosa in can. Contra cit. n. 1.*

Non desunt & à Sanchez, eorum opinionioni adhærente, *Lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 5.* referuntur DD. non pauci, qui eodém adstruant potestatem dispensandi in Jure Divino; cum propter generalitatem potestatis, S. Petro à Christo Domino concessæ verbis, *Quodcumque solveris super terram &c. Matth. cap. 16. v. 19.* tum verò; quòd, urgente gravi causâ,



administratio Sacramenti Confirmationis simplici sacerdoti, imò celebratio Missæ sub una tantum specie à summo Pontifice aliquando fuerit permissa: quantumvis Jure Divinò illa competat Episcopis: ad istam autem utraque species exigatur. Similimodò Papa cum Episcopis cæterisque Pastoribus animarum aliquando dispensat in residentia in Ecclesiis seu diocesis vel parochiis suis: ad quam eos non Ecclesiasticò tantum, sed Divinò quoque Jure adstringi, cum Navarro *Manualis cap. 25. n. 2.* Cajetano 2. 2. q. 185. art. 5. & Vasquez *de Benef. cap. 4. §. 2. n. 121.* frequentiori aliorum TT. & Canonistarum calculò approbata sententia est.

15) Sed recedendum non est à doctrina tradita *Tit. 2. à n. 153.* & communissima sententia DD. aliorum, qui hac in re inter interpretationem & dispensationem seu Juris relaxationem distinguunt: & licet Divinum Jus interpretandi sive, an ad casum aliquem particularem, quò ejus observantia majus bonum impedire vel gravia incommoda afferre videretur, se extendat, declarandi potestatem summo Pontifici, cum S. Thoma 2. 2. q. 54. art. 5. & Glossa in c. *Non est 5. V. Autoritate de Voto* indubitatè adstruant, in eo tamen absolutè aliquid præcipiente vel prohibente dispensandi potestatem ei negant, & non competere, agnovit Urbanus Papa *can. Sunt quidam 5. q. 1.* ubi, quæ Christus Dominus vel ex ejus ore excepta Apostoli definiverunt, summum Pontificem usque ad animam & sanguinem confirmare debere, asseritur.

Ratio clara est, partim; quia in lege superioris dispensare inferior non potest, *can. Inferior 4. dist. 21. C. c. Cùm inferior 16. de Majorit.* Papæ autem à Christo in sua Lege dispensandi potestas nusquam est concessa: partim verò; quia hujusmo-

di potestas in destructionem potius cederet quàm in ædificationem; cum Novæ Legis præcepta omnia concernant Fidem, Spem, Charitatem, Dilectionem inimicorum & Ritus substantiales Sacrificii & Sacramentorum: circa quæ, si aliquid mutari humana potestate valeret, Ecclesia ruinæ obnoxia foret, contra promissionem Christi, *Super petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. cap. 16. v. 18.* Ita multis & præcipui nominis DD. allegatis, Pontius *Lib. 8. de Matrim. cap. 2. num. 4. C. cap. 3. n. 2.* & Palao *Tract. 3. disp. 6. p. 2. C. 3. utrobique n. 5.*

Neque contrarium eruitur ex generalitate concessionis Christi, *cap. cit. v. 19.* quia in generali concessione non veniunt ea, quæ verisimile est à superiore non concedenda in particulari, *c. fin. de Offic. deleg. in 6. C. Reg. 81. in 6.* cujusmodi est potestas dispensandi in lege Divina, ex recepta doctrina D. Thomæ, qui 2. 2. q. 67. art. 4. disertè ait, *Quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.* Accedit; quòd illa concessione in Divina lege dispensandi potestatem comprehendit, non agnoverit B. Petrus ejusque successores, ut ex *can. Sunt quidam cit.* & ex perpetuo Ecclesiæ, ejusmodi potestatem non exercentis, usu constat.

Neque id evincunt exempla. Pri- 16. mum de Sacramento Confirmationis; quia Jure Divinò Episcopus minister tantum Ordinarius est, secundum Concilia Florent. post *Sess. ult. in Decreto Fidei §. Secundum* & Trident. *Sess. 7. can. 3. de Confirmat.* simpliciter autem & Extraordinarium ejus ministrum etiam simplicem sacerdotè esse posse, ex §. *Scan. cit. arg.* à contrario & traditione Ecclesiæ desumi, insinuat *cit. Suarez cap. 6. n. 21.* & dictum est *Tit. 15. n. 23.*

Alterum de celebratione Missæ sub 17. una tan-

00002



una tantum specie, cum; quia ad hanc à Papa unquam dispensatum, authenticè non constat: imò dispensari posse, cum *cit.* Doctore Vasquez *in 3. p. disp. 228.* & Pontius *cit. cap. 3. n. 7.* negant: tum verò; quia, etsi perfectum & integrum sacrificium utramque speciem exigit, casu tamen, quò sub utraque specie offerri non potest, & illud imperfectum offerri potius quàm omnino omiti, publicè interest, à summo Pontifice, Divinam institutionem potius interpretante quàm relaxante, celebrationem sub una tantum specie permitti posse, aliorum DD. probabilis est doctrina, quam cum *cit.* Suarez refert Palao *cit. p. 3. n. 6. in fine.*

Postremum de residentia; quia, in hac dispensans Papa, ad eam Episcopum aliùve curatù in propositis sibi casibus, ob mutatas circumstantias, Divinò Jure non obligari, solummodo declarat, unaque relaxat legem Ecclesiasticam, illis ab Ecclesiis suis recedere volentibus, obstantem, ut plenius tradetur *Lib. 3. tit. 4. n. 11. § 12.*

18. Sextò, idem summus Pontifex, etsi Novæ Legis Sacramentorum numerum augere vel minuere, eorum materiam & formam cæteraque substantialia à Christo determinata mutare nequeat, ut ex *Trid. Sess. 21. de Commun. cap. 2.* verbis. *Salutem illorum, Sacramentorum, substantiam,* colligitur: quoad ceremonias tamen eorundemque ritus accidentales, quacunque etiam Apostolicâ autoritate institutos & Universalis Ecclesiæ usu receptos, circa ministrorum eaque suscipientium qualitates, amplam obtinet potestatem; ut, si in Divini cultûs incrementum, fidelium ædificationem vel animarum salutem credere videatur, novos ejusmodi ritus introducere & antiquos abrogare, in ministris & suscipientibus alias qualitates exigere possit, Suarez *in 3. p. disp. 15. conclus. 2.*

& Henriquez *Lib. 1. de Sacramen. cap. 21. n. 4.* id delinquentes ex Ecclesiæ disciplina & eodem Concilio: quod, dum *Sess. 7. can. 13.* anathemate ferit docentes, approbatos Ecclesiæ ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, pro libito omiti & per quemlibet Ecclesiarum pastorem mutari posse, non obscurè insinuat, eos ex justa causa mutari posse à summo Pontifice, cujus auctoritate introducti sunt & approbati.

Septimò, à Christo *Matth. cap. 16. v. 17. & 18.* & *Joan. cap. 21. v. 17.* necessam generalem & supremam regni clavorum Clavium in terris obtinet potestatem: vi cujus Imprimis in Concilio interno Fidelibus penitentibus penam quoad culpam & penam nomine Dei remittere, vel, si ad animarum salutem impedire judicet, ea retinere potest, *Trid. Synodi Trident. Sess. 14. cap. 5. de Penit. Sacram.* habetur. Deinde, in eodem Foro eos delinquentes ad ipsorum correctionem & aliorum exemplum coercere, contumaces auctoritatis & potestatis Ecclesiasticæ contemptores censuris subijcere & si ab inobedientia non recedant, eos tanquam putrida membra ab Ecclesiæ corpore abscindere, atque à Fidelium communione segregare: & contra, resipiscentes à censuris absolutos in pristinum gradum restituere, potest. Præterea, ex justa causa relaxare valet omnia, etiam prærata & tam Solennia quàm Simplicitate, non solum iis hunc vel illum casum non comprehendi, pro iisve votum à Deo non acceptatum, declarandò: sed etiam ea iis ortam obligationem Dei nomine, ab eoque immediatè accepta potestare, in alia pia opera commutandò eamve remittendò; ut adeò, cum justa relaxationis causa subest, Papæ respectu nullum votum reservatum intelligatur. Demum, ejusdem à Christo acceptæ potestatis vigorem etiam



etiam homini præstita juramenta certis casibus non obligare, declarare, iusve contractam obligationem remittere valet, aliquando ex causa utilitatis publicæ, aliquando in pœnam ejus, cui est juratum, ut ex Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis ad nostra tempora propagato & luculentis SS. PP. testimoniis confirmato, usu & praxi habetur, Suarez de Censur. disp. 1. s. 2. Lib. 2. de Juramento cap. 41. & de Voto Lib. 6. cap. 9. & Bellarminus Lib. 4. de Romano Pontif. cap. 15. & Barbosa cit. cap. 2. à n. 119.

20. Octavo, Ordinarius & supremus judex est omnium Christi Fidelium; ut in spiritualibus cæterisque, ad Ecclesiæ Forum externum quomodocunque pertinentibus causis, ejus definitione ac sententiâ stare, sine appellations remedio, teneantur: & quia ejus & Christi in terris unum Tribunal & Consistorium est, ut arg. c. Inter 2. & c. Quando 3. de Translat. Episc. cum Holtiens. in c. Quando cit. §. Non enim tradit Navarrus in c. Novu 13. de Judiciis notab. 3. n. 12. ab ejus sententiâ ad Christum appellans, quali Papam ejus Vicarium esse non credit, aut idem utriusque tribunal in terris esse, neget, de Hæresi sit suspectus, teste Barbosa cit. cap. 2. n. 92. sicut etiam ab eo appellare præsumens ad futurum Concilium: qui propterea incurrit excommunicationem, ipsius Papæ abolutioni reservatam, Bullæ Cœnæ can. 2. & jam antè latam à Pio II. Constitutione, quæ incipit *Execrabilis*, editâ Calend. Febr. 1459. Ratio solida & perspicua est; quia appellatio est provocatio à minore iudice ad majorem, Glossa ab omnibus recepta in c. Non putamus 2. V. Officiali de Consuet. in 6. Papa autem Concilio quocunque & omni aliâ humanâ potestate major ac superior est; ac proinde iudicari à mortalium nemine potest, per can. Si Papa 6. dist. 40. can. fin. dist. 79. can.

Patet 10. can. Nemo 3. Sc. 9. q. 3. c. Significasti 4. de Elect. & luculenta testimonia plurimorum Conciliorum, à Sfondrato. Regal. Sacerdotii Lib. 2. §. 4. à n. 2. latè relatorum: ex quibus Anno Christi 424. sub Sylvestro Romæ celebrati cap. ult. de Prima Sede & Romano Pontifice dicitur, Neque ab Augusto, neque ab omni clero, hoc est, à Concilio, neque à Regibus, neque à Populo iudex judicabitur. Nisi Pontificiam dignitatem dimiserit per renuntiationem, vel eâ, Christo permittente, exciderit: quod accidit, si in hæresin notoriam labatur; hoc enim casu eum hæreticum esse: uti etiam, cum quis verus Pontifex sit, tempore Schismatis aliter cognosci non potest, aliquem verum Pontificem non esse, declarari, eaque declaratione factâ à S. R. E. Cardinalium Collegio per viam electionis novum Pontificem substitui, juxta dicta Tit. 6. n. 373. posse, docent Suarez de Defens. Fidei Cathol. lib. 3. cap. 18. & Bellarminus Lib. 4. de Summo Pontif. cap. 9. & Lib. 2. de Concil. cap. 19. ad 3.

23. Nonò, eidem competit suprema & generalis potestas Ecclesiæ in Patriarchatus, Primatias, Archi- & Episcopatus ac Parochias dividendi, divisas per unionem conjungendi, earumque limites constituendi ac mutandi, can. Urbes 1. Sc. dist. 80. can. Provincia junctâ Glossâ V. Eodem dist. 99. c. Pastoralis 9. De iis, quæ à Prælat. c. Sicut 8. de Excess. Prælat. & Extravag. Unic. inter com. De Offic. deleg. de iisdem Prælaturis cæterisque dignitatibus, beneficiis, officiis ac ministeriis Ecclesiasticis liberè disponendi, c. Licet 2. de Præb. & dignit. in 6. & Clement. 1. in fine, Ut licet pend. in iis institutorum Prælatorum & Rectorum jurisdictionem, tam in Conscientiæ interno quàm in externo sive Contentioso Foro, extendendi vel restringendi, tollendi & suspendendi, secundum D. Thomam 2. 2.



- q. 39. art. 3. & Molinam *Traët. 5. de I. & I. disp. 4. n. 2.* & Ecclesie Prælatorum Concilia congregandi & congregata dissolvendi, *can. Regula 2. Sc. disp. 17. can. Dudum 3. q. 6. Tholof. Syntag. lib. 16. cap. 3. n. 27.*
24. Decimò denique, de Ecclesiis, Monasteriis aliisque Sacris & Religiosis locis, de rebus seu bonis & juribus ad ea pertinentibus, prout vel ad ipsorum privatas vel universalis Ecclesie publicas necessitates sublevandas & utilitates promovendas expedire judicavit, disponendi obtinet potestatem, *can. Cuncta 9. q. 3. citr. S. Thomas q. 100. art. 1. Navarrus de Reddit. Eccles. q. 1. monito 40. n. 6. & 8. & Molina cit. disp. 4. à n. 1.*
37. *Schismatis tempore convocans Concilium:*
38. *In quo habent vocem, Deserviam.*

**P**roximum à summo Pontifice gradum in Ecclesia hodie obtinent sacre Romanæ Ecclesie Cardinales, ita à Cardine, quasi illius Cardines sive præcipui Sacerdotes & principales clerici sint, merito appellati; cum constituent sacrum Collegium præcipuorum Ecclesie & istius Imperii atque universalis Episcopi Consistorium & Coadjutorum, *c. Fundamenta 17. §. Isti sunt. V. Decret. de Elect. in 6. c. Per Venerabilem 13. V. Summum autem Sacerdotes, Qui filii legitimi; de Corpore corporis Papæ pars esse, can. Si quis ad pr. 6. q. 1. & tanquam membra cum illo, tanquam capite suo, unum corpus & Consistorium facere dicuntur, arg. Gregorius 5. pr. C. ad L. Jul. Majest. de Electis 5. de Panu in 6. & cum legitimo munere funguntur, à Latere legati nuncupantur, arg. can. Decret. can. Si quis Episcopus 2. q. 6. Et. Speculator de de Legato §. 3. n. 2.*

De ipsorum origine admodum variant DD, quorum tamen pugnantem Opinionem in concordiam commode reducuntur, si inter Officium, Titulum, Nomen & Dignitatem distinguamus.

Et Officium quidem, saltem ex parte aliqua, in ipso nascentis Ecclesie primordio gessisse videntur Apostoli, qui post Christi Ascensionem B. Petro assistebant, eumque consilio & auxilio adjuvabant. Iis verò per universum Orbem dispersis, ab eodem Apostolorum Principe ex clero adsciti sunt Vixinti quatuor Coadjutores, ad instar totide Senatorum, Apocalypf. cap. 4. v. 4. Thololan. Syntag. lib. 15. cap. 4. n. 4. & Card. Jacobat. de Conciliis lib. 1. n. 252. quos inter

## ARTICULUS II.

### De Sac. Rom. Eccles. Cardinalibus.

#### SUMMARIUM.

25. *Cardinalium nominis etymon & ratio,*
26. *Antiquitas Officii, Tituli, appellationis & dignitatis.*
27. *Compatibilitas cum aliis beneficiis,*
28. *Et obligatio ad residentiam in Episcopatibus.*
29. *Numerus eorum varius,*
30. *Et Ordo triplex est.*
31. *In propriis Ecclesiis jurisdictionem habent Episcopalem.*
32. *Presbyteri conferunt Ordines minores.*
33. *Papam soli eligunt.*
34. *Defuncto tamen non succedunt in jurisdictione.*
35. *Viventi consilio & auxilio adsunt,*
36. *Eorum consilium requirere Papa ex sola honestate tenetur.*



inter præcipui fuerunt SS. Linus, Cletus, Clemens, *can. Si Petrus 8. q. 1.* ejus in summo Pontificatu proximi successores: qui in propaganda Evangelica doctrina & regenda Ecclesia presbyteros & diaconos, per Urbem divites, consiliarios & adjuutores habuerunt, Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. n. 3.* Postea sub annum ab Incarnatione Domini 304. à S. Marcello instituti in Urbe quindecim Tituli presbyteris & diaconis sunt assignati, iisque baptizandorum & poenitentium Cura & sepultura Martyrum præcipue est flemandata, teste Barbata *de Præstant. Cardinal. q. 1. p. 1. n. 5.* & Flaminio *de Resignat. lib. 2. q. 1. n. 34.* Nomen Cardinalium à B. Sylvestro post Constantini Imp. conversionem & donationem adinventum, & primum in Synodo, Romæ celebratâ anno Christi 324. & *can. A subdiacono 5. dist. 93. & can. Presul. 2. q. 4.* relatâ: dein à Gelasio, Gregorio aliisque SS. Pontificibus in usum deductum, *can. Pastoralis 7. q. 1. can. Relatio 21. q. 1. Sc.* Demum Dignitatem, vel potiùs Cardinalitiâ supra omnes Episcopalis Ordinis Prælaturas in Ecclesia eminentiam, obtinuerunt, non ab Alexandro III. *arg. c. Cum Apostolus 6. §. Quocirca de Censibus*, ubi post Episcopos referuntur & minor quàm his comitatus eis permittitur: sed post illum S. Pontificem vel à Bonifacio VIII. vel à Clemente V. ante quorum tempora Episcopi ordinis & dignitatis gradu Papæ proximi erant: & quòd propter vetitam sacerdotiorum cumulationem Episcopatus cum Cardinalatu simul retineri non posset, ne gradu deici vel descendere viderentur, Episcopi Cardinalitiam dignitatem vix admittebant, ut cum Joan. Andr. *in c. Cum aliquibus 4. de Rescriptis in 6. cit. Tholosan. n. 4.* Barbosa *cap. 3. n. 7. & cap. 4. n. 24.* Gonzalez

*in c. Cum Apostolus cit. n. 3. & alii observant.*

Propter hanc Dignitatis, ad Apostolicam proximè accedentis, excellentiam ab Urbano VIII. in Consistorio secreto 10. Junii 1530. Titulo *Illustrissimi & Dominationis vestre illustrissima*, quò ante compellabantur, suffectus est Titulus *Eminentissimi & Eminentia vestra*; ut ab eo tempore una cum antiquo titulo *Reverendissimi* adjunctus titulus, *Eminentissimi & Eminentia vestra*, à nemine alio, præterquam ab ipsis, ab Ecclesiasticis Romani Imperii Electoribus ac Magistro Hospitalis Hierosolymitani sive Equitum Melitenium, valeat usurpari, ut videre est apud *cit. Barbosam cap. 4. n. 8.*

Dubium hic est, an Cardinalatus cum aliis beneficiis Ecclesiasticis comparibilis sit. Veteri Jure, illum cum Episcopatu (exceptis nonnullis Urbi vicinis) incompatibilem fuisse, satis liquet ex *v. Bona 3. de Postulat. præl.* quò textu ab Innocentio III. admittitur non est postulatio ad Ecclesiam Ravennatensem, de Cardinale celebrata; ne iste deserere cogere Ecclesiam Romanam, cui & universali Ecclesiæ utilior judicabatur, quàm esset, si regetur solam Ravennatensem, ut *sibi notant Panormit. n. 6. & Laiman n. 3.* De aliis quoque beneficiis, personalem residentiam exposcentibus, idem Juris fuisse, aliis DD. relatis cenfer *cit. Azor Lib. 4. cap. 3 q. 4.* contra Laudendensem *de Cardinal. p. 2. q. 24* & Barbatiâ *Simili Tract. q. 2.* eos Jure, beneficiorum pluralitatem vetante non adstringi existimantes; quòd, deserviendo Ecclesiæ universali, cuilibet Ecclesiæ particulari deservire intelligantur. Sed, quidquid sit de antiquo, modernò Jure Consistorialis decreti Sixti V. quod incipit *Sandissimus*, sub die 16. Martii 1588. ipsa



ipsa promotione ad Cardinalatum inducitur vacatio omnium Ecclesiarum & beneficiorum promoti, quorum ei non fuerit data seu concessa retentio: hæc autem concessa intelligitur ad Patriarchales, Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, ad Monasteria etiam commendata, ad Prioratus & ad cætera beneficia, convenientia dignitati Cardinalatus: non autem ad ea, quæ huic dignitati repugnant, ut sunt Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canoniciatus & similia beneficia, exposita præsentiam in choro & tributaria locum post Episcopum, Cardinalis dignitati non convenientem, *cit. Flamin. Lib. 3. q. 1. n. 66. Diana p. 5. tract. 2. resol. 11. & Barbosa cit. Lib. 1. cap. 3. n. 23.* quamvis ex indulgentia Apostolica Canoniciatus quoque in Germania nostra aliquando sine personali residentia retineant, spe, ut opinor, dignitatum Pontificalium per electionis viam facilius obtinendarum. Unde natum

28. Dubium alterum & controversia celebris est, an Cardinalis Episcopus in Episcopatu & diœcesi sua residere teneatur; eum enim cum Oldrado *Consil. 48. & Laudensi Tract. cit. q. 5.* à residendi obligatione absolvent *cit. Barbatia q. 12. & Flamin. q. 1. n. 74.* eâ ducti ratione; quòd Cardinales sint pars corporis Papæ, *can. Si quis & l. Quisquis cit.* eorumque consilio & assensu Papa regat & ordinet Ecclesiam universalem, totumque Orbem judicet, *§. Sunt autem cit.* cuius bonum generale cujuscunque Ecclesiæ particularis bono prævalet, *c. Bone cit.* quò argumentò ducti DD. *cit.* Cardinalem, ex quo Ecclesiæ Romanæ, omnium aliarum Matri, omniumque societudinem gerenti servit, beneficiorum etiam extra Urbem sitorum fructus percipere & à residentia excusari, imò pro resi-

dente haberi volunt. Sed contra decretum S. Synodi Tridentinæ *sess. 23. cap. 1. de Reformat.* quò Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quocunque nomine & titulo prefectis, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diœcesi residentiam declaratur; idque ex præcepto Divino, ut *cap. 1. cit. pr.* insinuatur.

Quare alii, Cardinales quidem Episcopos ad personalem in Ecclesiis suis residentiam jure adstringi, non iudicantur, assistentiam tamen in Curia iustam causam esse, docent, cum ipsis in residendi obligatione dispensandi; imò eò ipsò quòd in Curia præsentibus sint & Papæ assistant, cum ipsis dispensatum, quæ quòd Episcopi *cap. 1. cit. 17. Decret.* et iusta causa ab Ecclesiis suis abesse possint dicantur, si legitime absentia eorum Romanus Pontifex aut Metropolitanus, eò absente, suffraganeus Episcopus antiquior approbavit; eò ipsò autem quòd Cardinales Episcopi, Romæ commorantes & assistentes Papæ, ab ipso discedere & ad suas Ecclesias se conferre non debeant, ipsorum absentia à Papæ rati approbata & in Curia remanendi licentia data intelligatur. Verùm, quia S. Synodus *7. cit. Legitima absentia canon. in scriptis approbandas*, diserte ait, cum Papæ, à Curia discedere non jubent, tolerantiam pro sufficienti licentia & approbatione non habent, & illius iustitiam vel causarum illarum approbationem expressam, cum Cajetano *2. 2. q. 185. art. 5. & Soto Lib. 10. de Justitia q. 3. p. 3.* merito exigunt Saa *7. Residentia n. 1. Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 4. q. 7. ad finem & Diana Tract. cit. resol. 8.* Numerus etiam pro varietate temporum varius erat; aliquando enim ali-



quot supra septuaginta, aliquando tricenis, imò vicenis pauciores fuerunt: & licet à Concilio Basileensi *Sess. 23.* ne ultra viginti quatuor, & à Sixto V. *Constitut.* quæ incipit *Postquam verus* §. 4. edita 3. Nonas Decemb. 1595. ne ultra septuaginta eligerentur, statutum sit, illius tamen decretò non ligari, & ab istius Constitutione recedere & Cardinalium numerum augere, si res postulare videatur, summum Pontificem posse, indubitè censent Azor *p. 2. Instit. lib. 4. cap. 1. q. 6. §. At Concilium & Gonzalez in c. His qua 11. de Major. & Obed. n. 6.*

30. Cardinalium Ordo triplex est, Primus Episcoporum, qui quondam septem vel octo, hodie duntaxat sex sunt, scilicet Hostiensis, Portuenfis, Tusculanus, Sabinenfis, Prænestinus, & Albanus. Secundus Presbyterorum, quorum Titulos quinquaginta & unum. Tertius Diaconorum, quorum Titulos quindecim, à Clemente VIII. designatos, & à Paulo V. confirmatos ordine recensent Barbofa *cit. cap. 3. in fine.* Eorum autem omnium, sicut præminentia dignitatis, sic prærogativæ quoque & privilegia maxima sunt, & à *cit. Azor cap. 8. q. 20. & Barbofa cap. 4. à n. 41.* referuntur.

31. Officium eorum & potestas, hodie partim propriam cuique à sede Apostolica assignati Tituli: partim universalem Ecclesiam spectat. Et in sui quidem Tituli & huic subiectis Ecclesiis, etiamsi presbyteri tantum vel diaconi sint, omnes tamen obtinent jurisdictionem quasi Episcopalem, *c. His qua 11. de Major. & Obed.* ut in iis vacantia beneficia Ecclesiastica conferre & admittere eorum resignationes, ipsas eisque subiectas Ecclesias & clericos visitare, de istorum causis etiam criminalibus cognoscere, delinquentes & contumaces censuris aliis-

que pœnis Ecclesiasticis coercere, subsidium Charitativum exigere, laicorum iis subiectorum matrimoniis assistere & his assistendi licentiam aliis dare, & cætera, quæ respectu suarum Ecclesiarum, clericorum & aliorum subditorum diocesanorum Episcopi, ipsi in Ecclesiis sui Tituli, in istius clericos & fideles laicos exercere pleraque, etiam ante captam possessionem & literarum exhibitionem, *Extravag. Injunctæ 1. inter com. de Elect. dispositione non obstante possint, Jacobat, de Conciliis lib. 5. art. 2. n. 21. Azor cit. cap. 3. q. 2. Diana p. 5. Tract. 2. res. fol. 12. & aliis relatis Barbofa cap. cit. à n. 35. & n. 71.*

Eosdem, saltem presbyteros, Cardinales in propriis sui Tituli Ecclesiis subditis & familiaribus suis, saltem ex Consuetudine aut veriùs ex privilegio, primam Tonfuram & Ordines minores conferre posse, *cit. Diana res. fol. 5. & Barbofa n. 40.* docent, Rotæque decisionibus & magna DD. autoritate confirmant.

Ecclesiam universalem spectantis officii ac potestatis Cardinalium præcipua pars est electio summi Pontificis; quantumvis enim iste pro varietate temporum variè, & non ab iisdem semper eligeretur: hodie tamen & jam ab Alexandri III. tempore ejus eligendi jus totum est penes sacrum Collegium Cardinalium, *c. Licet vitanda 6. de Elect. c. Ubi periculum 3. in 6. & Clement. Ne Romani 2. eadem Rubric.* ita, ut à duabus ejus partibus electus pro vero summo Pontifice & Christi in terris Vicario sine ulla exceptione sit habendus, juxta dicta *Tit. 6. à n. 359.*

Non defuerunt, qui cum Archidiacono in *can. Ut constitueretur 22. in fine dist. 50.* sede Apostolica vacante, præter Pontificis eligendi potestatem, penes sacrum illud Collegium etiam Papalem jurisdictionem

P P P P

risdi-

32.

33.

34.



risdictionem residere existimarent. Sed eorum Opinio non convenit cum *c. Ubi periculum & Clement. Ne Romani cirt.* quibus ipsi ea solum permittuntur, quæ ad electionem Papæ & Ecclesiæ adversus imminencia pericula tuitionem pertinent. Unde, quantumvis ad maturandam electionem istiusque obstacula removenda, ad statûs Ecclesiastici provincias terrisque defendendas, ad coercendam facinorosorû licentiam & seditiones compescendas, quosunque statûs illius officiales ac ministros, atque ipsum etiam Urbis Gubernatorem mutare, & novos constituere, aliæque negotia necessaria expedire valeat, Jus tamen Ecclesiasticum, Constitutiones novas condendô aut antiquas revocandô, mutare, creare Cardinales, Episcopos transferre, legatos extra Curiam mittere aut à Papa defuncto Missos revocare, aliæque similia Pontificiæ jurisdictioni reservata facere non potest, Panormit. in *c. Cum te 23. de Sent. & re judic. à n. 1. Felin. ibid. n. 11. Azor cit. cap. 3. q. 1. & Diana Tract. cit. resol. 9.*

35,

Plenæ autem sedis Apostolicæ tempore ex officio suo Imprimis in Romana & universali Ecclesia regenda & occurrentibus præsertim arduis negotiis expediendis, in legibus Ecclesiasticis promulgandis & authenticâ interpretatione declarandis, Apostolicis tam Gratia quam Justitiæ rescriptis expediendis, invalescentibus morum corruptelis tollendis ad quietem & felicitatem publicam stabilendam &c. consilio & auxilio Papæ assistunt, *c. Bone 3. de Post. pral. &c.* cû necessitatis aut magnæ utilitatis publicæ causa postulat, ad Concilia autoritate Apostolica dirigenda, pacem inter Christianos Principes & Respublicas componendam, susceptas contra infideles expeditiones & Sacra bella promovenda, gubernandas civitates ac provincias aliæque ejusmodi ne-

gotia pertractanda extra Curiam & Urbem egrediuntur, juxta dicta *Tit. 30. n. 2. & 4.* Unde

Dubium ortum & controversia quondam satis celebris fuit, an summus Pontifex ad ardua ejusmodi negotia gerenda Cardinalium consilium necessarium debeat adhibere, in qua, licet Ripa in *Rubric. de Constit. n. 20.* Affirmativam Opinionem potiorum: & sacrum Collegium, ne talia sine suo consilio imbecillitate à Papa expediantur, in possessione esse, Barbatia *Vol. 4. Consl. 40. recent.* & ex *c. Per Venerabilem 13. V. Sicut ceterum cit.* desumant: communis tamen & vera sententia est, Papam in negotiis Ecclesiam universalem spectantibus, quantumcunque ea ardua sint, ad Cardinalium consilium amplectendum non exquirendû, honestatis potius legumque Juris alicujus necessitate adstringi. De Honestate patet ex *c. Fundamenta 17. Ipsi sunt V. Decet namque ipsi summo Pontifici per Fratres suos, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, libera præstare consilia, de Elect. in 6.* De Necessitate ex *c. Cùm ex eo 14. de Penit. & Remiss. in fine,* Romano Pontifici plenitudinem tribuente. Ratio contrariusque est; quòd, licet supremam quoque universalem jurisdictionem in tota Ecclesia non à puro homine sed Christo immediate acceperit verbis, *Ecce vobis meas,* Joan. *cap. 21. v. 19.* ad B. Petrum directis: & propterea majora Ecclesiæ negotia ad sedem Apostolicam, quam solus Papa tenet, *cau. Hac est fides 24. q. 1. referenda dicantur cau. Rogamus 9. cit. & c. Majores 3. pr. de Baptismo,* et tamen temere & sine judicio consilioque sapientum, hoc est, Cardinalium ei assistentium non sit procedendum, juxta admonitionem Sapientis Ecclesiæ, *cap. 31. v. 24. junctio V. Decet cit. Palaeus de Sac. 270. Cap.*



ero *Constit. p. 1. q. 3. cit. Azor q. 19.*  
& *Diana resol. 5.*

37. Deinde, duobus in discordia electis & contententibus de Pontificatu: & quod Fidelium in duas partes scissorum una hunc, altera pars alterum sequatur, utroque in quasi possessione existente, ad Schisma ex eoque impendenda mala avertenda Cardinales Concilium cogere possunt: cujus autoritate de certo & universali capite Ecclesie provideatur, Jacobat. *de Concil. lib. 3. art. 1. n. 574.* Manfredus *de Cardinalibus p. 1. cap. 31.* & alii apud *citt. Barbosam cap. 4. n. 76.* & *Dianam Resol. 62. §. Est tamen*, hujusmodi Concilia, licet propter defectum Papalis autoritatis, aliquod modò imperfecta sint, *can. Concilia 6. dist. 17.* pro venerabilibus tamen & Jure coactis conventibus habentem, cum Ant. Perez in *Pontatench. Fidei Tract. 3. de Concil. cap. 8.*

38. Demum, in Conciliis Papæ autoritate congregatis Cardinales, etiam qui Episcopi non sunt, vocem sive suffragium, non Consultivum duntaxat, sed Decisivum, perinde ut Episcopos, habere, cum Suarez *de Fide disp. 11. s. 1. n. 17.* Perez *cit. cap. 8. n. 8.* & alii docet idem *Diana Resol. 3.* & praxis recentiorum Conciliorum, præsertim Lateranensis: cujus decretis, sicut Episcopi, sic etiam, imò ante istos subscriperunt Cardinales. Ratio est; quod etiam isti succedant loco Apostolorum; & sicut hi, antequam prædicandi Evangelii causa per universum Orbem dispergerentur, B. Petro, sic Cardinales istius successoribus assistant & in negotiis arduis Consilarii sint & adjutores; & propterea à S. Bernardo ad Eugenium scribente *Seniores populi & Orbis judices* nuncupentur: partim verò; quòd eorum autoritas & officium non tantum propriam sui Tituli vel Ro-

manam, sed vel maximè universalem Ecclesiam spectet.

### ARTICULUS III. De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis.

#### SUMMARIUM.

39. Hi Ordinarii Judices Ecclesiastici sunt.
40. Inter eos eminenti Patriarche:
41. Quorum Majores hodie quatuor:
42. Olim duo tantum erant.
43. Minores varii sunt.
44. Maiorum potestas.
45. A Minoribus solò nomine differunt Primates.
46. Aliquam potestatem obtinentes in Metropolitanos.
47. Archiepiscoporum etymon.
48. Et excellentia supra Episcopos.
49. Potestas eorum in subditos propria Diocesis.
50. Et in Episcopos suffraganeos:
51. Quorum officii executionem promoveant.
52. Negligentiam aliquando supplent.
53. Synodum convocant.
54. Et de causis Episcoporum, olim etiam Criminalibus.
55. Hodie saltem de Civilibus cognoscunt.
56. In suffraganeorum subditos procedunt casibus Jure expressis:
57. Cum ad ipsos provocatur:
58. Cum visitant Provinciam:
59. Cum notoria crimina & corruptela sunt.
60. Vel causa inter Episcopum ejusque subditum agitur.
61. Cum Canonici cessant à Divinis.



62. *Isdem casibus in subditos Archiepiscoporum procedunt Primates.*
39. **O**rdinarii Judices Ecclesiastici post Papam vel maximè & stabiliter sunt Prælati Ordinis Episcopalis, Patriarchas, Primates, Archi- & Episcopos complectentis, *can. Cleros 1. pr. V. Ordo verò dist. 21. & Concil. Trident. Sess. 23. cap. 7. §. Ne verò de Ref.* Ex quibus trium priorum hóc: postremi verò sive Episcopi officium & potestatem, sequenti Articulò exponemus.
40. Patriarchæ itaque vocabulò Græcò, summum Patrem sive Patrum & Episcoporum Principem denotante, *can. & V. cit.* veniunt dicti Ordinis Prælati omnibus non unius duntaxat Provinciæ, sed totius Regni vel Imperii Episcopis, & ipsis quoque Archiepiscopis præpositi; ut ab his graviorum Religionis negotiorum summa ad ipsos deferatur, *can. Urbes 1. dist. 80.*
41. Eorum aliqui Majores, alii Minores hodie vocantur. Majores & primarii post Romanum Pontificem, Basilicæ Lateranensis Patriarcham, *can. 1. pr. dist. 23. & cæterorum Patriarcharum Principem, c. Antiqua 23. de Privileg.* sunt quatuor, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, *can. Renovantes 6. & can. fin. dist. 22.* Neque obstat; quòd ab Isidoro *V. Ordo verò cit.* & à Nicolao I. ad *Consul-ta Bulgar. cap. 92.* præter Romanam duæ tantùm Sedes Patriarchales, Antiochena & Alexandrina referantur; quia intelligendi sunt secundùm tempora antiquiora, quibus Romani Pontifices in electionem Sedis Constantinopolitanæ & Hierosolymitanæ ad dignitatem Patriarchalem nondum consenserant, & pro veris Patriarchalibus tantùm habebantur
- Sedes, quæ ab ipso B. Petro, ut Antiochena primùm, deinde Romana: vel ejus nomine, ut à S. Marco Evangelista Alexandrina, sunt institutæ, Barboza *700. Eccles. Lib. 1. cap. 6. n. 13. & 19.* Minores dicuntur, qui inter Latinos sedis Apostolicæ indulgentiæ & inveteratò usu Patriarchale nomen obtinuerunt & hodie retinent: cujusmodi sunt Patriarchatus Aquileiensis, *can. Nunc verò 9. q. 3.* occasione alicujus Schismatis sub annum Christi 570. erectus & Gradensis in Istria, *can. Erubescam 1. dist. 32. & c. Ex literis 29. de Offi. deleg.* propter aëris intemperiem à Nicolao *V.* Anno 1441. translatus Venetiæ, & ab ipso Urbe Venetiæ Patriarchatus appellatus: quibus Indiarum sive novi mundi Paulo III. erectus, & post hunc Hispanicæ Patriarchatus accesserunt, *can. Barboza à n. 40.* ubi sedes Bituricensis in Gallia, Toletanam in Hispania, Cantuariensem in Anglia & Pisanam in Italia, quas aliqui Patriarchales vocant, Primatialibus accenset *n. 44.*
- Cæterùm Patriarchæ Majores ceteris supra cæteros Episcopalis Ordinis Prælatos, sicut dignitate, sic etiam potestate & jurisdictione multùm eminebant: & imprimis quidem ad ipsos Archi- & Episcoporum graviora negotia & majores causas (salvâ tamen in omnibus auctoritate sedis Apostolicæ) deferrebantur, *can. Urbes cit.* Deinde ab ipsis, à summo Pontifice jam Palliò donatis, subjectionem recipiebant, *c. Antiqua cit.* & ab istis, iisque etiam præteritis ab Episcopis quoque ad eos (salvis tamen inter-lationibus, ad sedem Apostolicam inter-lationibus) poterat appellari, *c. cit.* Deponitum Ordinarii judices erant Archi- & Episcoporum, ut ex justa causa istos poterint deponere, *arg. can. Nos anti-quum 6.*



quas 6. junctâ Gloſâ V. Paviliſ diſt. 65. & can. Quid ſuſpecti 3. q. 5. Olim, inquam; quia hujus ipſorum poteſtatis, an & in quos hodie uſus ſit, & poſt eorum provincias ab Infidelibus occupatas, eſſe poſſit, non apparet.

45. Patriarchis Minoribus aded affines ſunt Primates, ut utrôque nomine eodem: illô quidem à Græcis, iſtô vero à Latinis appellari; ac proinde eos nomine potiùs & titulô, quàm officio ac poteſtate differre, non immeritô velint Azor p. 2. Inſtit. lib. 3. cap. 35. q. 2. & Barbosa de Offic. & Poſt. Episc. p. & Tit. 1. cap. 6. n. 8. cùm, ſicut Patriarchæ ſaltem minores, ſic etiam Primates vocentur Archiepiſcopi obtinentes Metropoles potentiores & majores, ut ſunt in Germania noſtra Olim Magdeburgenſis, hodie Salisburgenſis; in Hiſpania Toletanus; in Gallia Bituricenſis, Lugdunenſis, Arelatenſis, Viennenſis; in Italia Piſanus, Gneſnenſis in Polonia, in Hungaria Strigoniſis, Cantuarienſis in Anglia, in Scotia Archiepiſcopus S. Andree & in Hibernia Armacanus, Barbosa cit. cap. 6. n. 9.

46. Minoribus autem Patriarchis & Primatibus, licet minor quàm primariis ſeu Majoribus, aliqua tamen jurisdictio competit in Metropolitanis & Episcopis iſtis ſubjectis; ad illos enim, tanquam proximis ſuperiores pertinet confirmatio Archiepiſcoporum, ſedi Apoſtolicæ immediatè non ſubjectorum, Hoſtienſis in Summa de Eleſt. n. 27. & ab Archiepiſcopis cauſæ deferuntur per appellationem, can. 1. diſt. 99. & propter illorum negligentiam in collatione fit devolutio beneficiorum Eccleſiaſticorum, arg. à contrario c. Licet 3. de Suppl. neglig. ibi, Quid Archiepiſcopus alium Superiorem non habeat ad vos devoluta: & demum deferuntur querelæ adverſus Ar-

chiepiſcopos non exemptos, can. Si clericus 11. q. 1. cit. Azor. cap. 36. q. 3. Alia, quæ poſſunt, ex ſpecialibus ſingulorum privilegiis & receptis Conſuetudinibus ſunt deſumenda.

Archiepiſcopus, à Græco vocabulo ἀρχος, ſummum ſive Principem ſignificante, can. Cleros cit. V. Ordo verò cit. dicitur Prælatus Ordinis Episcopalis, qui alicujus Provinciæ Episcopis omnibus præeſt & aliô, uſu non minùs receptô, nomine vocari ſolet Metropolitanus, à menſura ſive numero civitatum, V. cit. vel potiùs à Metropoli, ſive præcipua & aliarum provinciæ civitatum quaſi Matre, in qua Archiepiſcopus reſidere conſuevit, can. De hiſ 13. diſt. 12. Gloſſa in V. cit. V. A menſura & cit. Tholoſan. cap. 10. n. 4.

Quantumvis autem Archiepiſcopus, ſicut Patriarchis & Primatibus non minor, ſic aliis Episcopis non major ſit quoad Ordinem & Characterem ſpiritualementem: tamen, ſicut illis minor, ſic iſtô major eſt autoritate & ſpirituali poteſtate ſive jurisdictione, ſe non, ut Episcopis, ad unam, ſed ad omnes totius Provinciæ civitates extendente, c. Super eo 22. de Cenſibus: quæ & quiddam Archiepiſcopo in Conciliis, in Conſecrationibus & aliis negotiis ſuffragentur, cauſa eſt, cur Episcopis ejus Suffraganei nuncupentur, c. Suffraganeis 11. de Eleſtione, c. 1. de Foro compet. in 6. Sc. Azor cit. Lib. 3. cap. 33. q. 5. Unde

Conſiderari ac diſtingui in Archiepiſcopo poteſt & à DD. ſolet autoritas & poteſtas triplex. Una, propriam, ſive ipſi immediatè ſubjectam Diœceſin; altera Coepiſcopos, ſive ſuæ Provinciæ Suffraganeos non exemptos; tertia iſtorum ſubditos ſpectans.



Vi primæ in propria sua dicecesi exercet omnia jura, quæ cæteris Episcopis, respectu suæ cuique diocesis, adstruimus *Articulò sequenti*.

50. Vi secundæ immediatus & Ordinarius superior est omnium totius Provinciae sive Archiepiscopatus sui cœpiscoporum, sive Suffraganeorum non exemptorum; ut super eorum subjectione & causarum eos concernentium cognitione jurisdictionem, præter casus specialiter exceptos, Jure communi fundatam habeat, *arg. can. 1. Sc. q. 3. can. Quia cognovimus 10. q. 3. c. Pastoralis 11. pr. hic, ubi Glossa V. Exceptis Panormit. n. 2. & Barbosa n. 4.*

51. In specie autem, præter Suffraganeorum Confirmationem & Consecrationem, de Jure communi ipsi competentem, juxta dicta *Tit. 6. à n. 314.* Archiepiscopus suffraganeis non exemptis Primò, quæ ad eorum officium spectant, v.g. ut subditis justitiam administrent, Oeconomos in Ecclesiis constituent, Seminarium juxta Concilium Trident. *Sess. 23. cap. 8. de Ref.* erigant &c. præcipere, eosque negligentes ad illius executionem & ad residentiam, juxta ejusdem S. Synodi decretum *Sess. cit. cap. 1. de Reformat.* compellere, etiam per Censuras Ecclesiasticas potest, *c. 1. §. fin. in 6. & c. Venerabili 52. de Sent. excom.* observatâ tamen formâ præscriptâ, *c. Quia Pontificali 2. de Offic. deleg. in 6. & supra Tit. 29. n. 58.* declaratâ, *cit. Azor cap. 34. q. 9. §. Absolvit, Quaranta Summa Bullar. V. Auctorit. Archiepisc. num. 11. & Barbosa à num. 23.*

Eâdem, quâ in hujusmodi Episcopum, etiam in ejus Vicarium generalem, in officio v.g. administratione justitiæ negligentem autoritate pollet, & hunc ad illius executionem per censuras compellere, Archiepiscopus potest, ut ex *e.*

*1. de Offic. Vicar. in 6. junctò c. 1. §. fin. ibi in 6. cum Zabarella in Clement. 2. de Privileg. n. 2. desumunt cit. Quaranta n. 1. & Barbosa n. 28.*

Secundò, suffraganeorum negligentiam supplet in collatione beneficiorum, *c. Licet 3. de Suppl. neglig. & c. Nulla n. de Concess. Prab. in Oeconomorum constitutione, can. Cum simus 9. q. 3. in communicatorum absolutione, c. Ad revocandam 8. hic, in executione ultimarum voluntatum, secundum Panormit. in c. cit. n. 11. & eundem Barboiam cap. 7. num. 35.*

Tertiò, suffraganeos convocare potest ad Synodum sive Concilium Provinciale, olim quot annis bis, *can. 1. de Offic. 18. postea singulis annis semel, can. Quoniam 6. dist. cit. & c. Sicut 27. de disciplina. Novissimò autem Jure S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 2. de Ref.* quòvis trimesis congregandum; & cum ipsorum consensu & consensu statuta Provincialia condere, *can. Nullus 9. 3. cit.*

Quartò, iidem coram Archiepiscopo conveniri, tam in Criminalibus quàm Civilibus causis olim poterunt, *can. cit. c. Pastoralis cit. pr. & c. Sollicitudinis 54. de appell.* Hodie verò Criminalium graviorum, tam cognitio quàm definitio, reservata est sedi Apostolicæ. Minores autem ad Concilium Provinciale deferendæ sunt, ex dispositione Trident. *Sess. 24. cap. 5. de ref.* Imò à cit. Barbosa cap. 7. n. 46. allegatur rescriptum Congreg. Cardd. præpositorum negot. Episcop. 7. Maji 1588. Vi cujus Episcopi Suffraganei coaveniri coram Archiepiscopo, etiam in causis Civilibus non possunt. Quæ de re multum ambigit Engel *Lib. 1. Tit. 33. n. 38.* quòd, antiquò Jure spectatò, Archiepiscopus cognoscere poterat de Civilibus, imò Criminalibus causis Episcoporum suffraganeorum: Tridentinum autem



num autem solas Criminales excipiat; ac proinde sibi contrariam Juris antiqui Regulam de causis Civilibus firmet, *arg. l. Quasitum 12. §. 43. ff. de Fundo instructo*, præsertim; cum, ejus dispositio sit correctoria, *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. §. l. Præcipimus 32. in fine C. de appell. eamque ab expressis ad non expressas & illis oppositas causas extendendi potestatem penes dictam Cardd. Congregationem esse, non constet.*

56. Vi tertiæ Potestatis Archiepiscopus jurisdictionem Ordinariâ in subditos suorû suffraganeorum, non quidem regulariter, sed certis duntaxat & Jure expressis casibus emergentibus exercet, *can. Nullus 9. q. 3. c. Pastoralis pr. cit. c. 1. hic in 6. §. c. 1. de Suppl. neglig. in 6. quorum textum dispositioni non obstat; quòd can. 34. Apostol. & can. Per singulas q. 3. cit. ei jurisdictione in totam provinciam tribuatur; quia hæc ejus jurisdictione, respectu personarum immediatè subjeclarum Episcopis, Jure expressis, vel privilegio aut legitime præscriptâ consuetudine concessis casibus duntaxat exerceri potest: quod prius *cit.* sanctionibus Ecclesiasticis salubriter constitutum est; ne Ecclesiasticus Ordo confundatur & cum proprio & immediato Superiore disciplina Ecclesiastica facile contemnatur, Barbofa *cit. cap. 7. n. 51. Gonzalez in c. Duo 9. n. 4. §. 11.**

57. Casuum autem Jure expressorum Primus est, quò ab Episcopi ejusque Officialis sive Vicarii generalis sententia aut gravamine ad Archiepiscopum appellatur, *can. Conquestus 9. q. 3. c. Duo cit. c. 1. hic in 6. §. c. Romana 3. de Appell. in 6.* De causis autem, ita ad se devolutis, etsi per se aut Vicarium suum aut etiam per delegatum in propria sua vel ejus, à quo provocatum est, diocesi cognoscere valeat, subditum tamen illius diocesenum

ad causæ ad se devolutæ delegationem recipiendam invitum compellere ipse non potest: & propterea, ut compellatur, ad proprium ipsius Episcopum suffraganeum suum recurrere, & huic, ut illum compellat, præcipere potest, *c. Pastoralis & pr. cit. §. c. 1. §. Neque de Foro comp. in 6. ubi ratio redditur; quòd hujusmodi delegatus deleganti subjeclus non sit ante appellationem: & per hanc ei appellans duntaxat & appellatus subjiciantur: compulsionis autem actus, cum sit jurisdictionis contentiosæ, in subditum tantum exerceatur, Glossa in l. Unic. V. Resedissent C. Qui pro sua jurisdic. Vivianus in c. Pastoralis cit.*

58. Secundus casus est, quò visitat Provinciam, *c. Sopita 14. §. c. Super eo 22. de Censibus*; eò enim tempore in suorum Suffraganeorum subditos jurisdictionem per se vel per alios exercere valet in foro interno, ipsos à peccatis etiam reservatis & censuris absolvendò, *c. 1. §. c. fin. eadem Rubr. in 6.* Externam autem jurisdictionem exercere, *vg. excommunicandò, non potest: nisi contra criminosos notorios &, procuraciones negandò, vel alia ratione visitationem, aut ejus jurisdictionem impediendes, c. 1. de Penâ in 6. Barbofa cap. cit. n. 92.*

59. Tertius est, quò à Suffraganeorum subditis commissa crimina notoria, etiam extratempus Visitacionis, saltem si Episcopus non præverit, punire, *c. 1. §. Notoria de Censib. in 6. & pravas consuetudines per provinciam invalescentes collere, easque frequentantes excommunicare possit, c. Ad extirpandas 11. c. fin. de Filiis, presbyt. §. c. Ex frequentibus 3. de Institut. saltem, si in eo suffraganei sint negligentes, Panormit. in c. cit. n. 3. & Quaranta V. cit. n. 23.* Eisdem extra Visitacionis tempus punire valet propter injurias, sibi, nuntiis, aut familiæ suæ illatas in usu juris.



risidictionis, c. 1. de Penit. in 6. cit. Quaranta n. 23. & Barbosa n. 73.

60. Quartus, cum causa Criminalis inter Episcopum ejusque subditum clericum agitatur; ea enim ad Concilium Provinciale, cui Archiepiscopus praesidet, c. Si- cut 27. de Accusat. & ubi ejusmodi Concilia non habentur, ad hunc tanquam immediatum judicem est deferenda; ita tamen; ut ex causa probabili recusari, vel ab eo appellari queat ad Papam, Laiman de Jurisdic. Ordin. n. 8. ad quem graviora Episcoporum crimina hodie deferenda, dictum est n. 54. Causa autem Civilis, qua Episcopus clericum sibi subiectum conveniret, non coram Archiepiscopo; quia iste clerici sibi non immediate subiecti iudex non est; sed coram arbitris, utriusque partis consensu eligendis, esset expedienda, can. Si clericus 11. q. 1. à quibus tamen, tanquam ab arbitris Juris & necessariis, ad Archiepiscopum appellari potest, arg. c. Ab arbitris 11. de Offic. deleg. in 6. Engel cit. Tit. 33. n. 30.
61. Quintus casus est, quò Canonici absque rationabili & manifesta causa cessant à Divinis; tali enim casu ad querelam Episcopi eos punire & ad officium compellere per censuras Ecclesiasticas Archiepiscopus, tanquam sedis Apostolicæ delegatus, potest, c. Irrefragabili 13. §. Caeterum, Quaranta l. cit. & Barbosa n. 74. qui plures casus dabit.
62. Sicut Archiepiscopus in suorum suffraganeorum, sic etiam Primas & Patriarcha in suorum Archiepiscoporum subditos jurisdictionem exercere nequeunt, præterquam in casibus Jure expressis: ut, si per viam appellationis ab Archiepiscopo causa devolvatur, & aliæ ex privilegio vel Consuetudine ipsis competentes, c. Duo 9. & per ibi notata à Panormit. Laiman & Barbosa n. 1.

## ARTICULUS IV.

## De Episcopis.

## SUMMARIUM.

63. Nominis etymon & significatio.
64. Episcopi potestas sua in generalibus.
65. Diœcesanâ, ad varia se extendente:
66. Et Jurisdictionali, includens potestatem Ordinandi &c.
67. De causis Ecclesiasticis cognoscendis.
68. Punendi criminosos, aliquando etiam Regulares & laicos.
69. Imploratio, si opus sit auxilio laicis Secularis sua auctoritate.
70. Cui vicissim suum auxilium tribuere tenetur:
71. Censuras ferendi & relaxandi.
72. Diœcesin Visitandi, infirmis ad deservendi:
73. Leges ferendi, in iisque dispensandi,
74. Etiam, cum dispensari possit, consuetudine Apostolicâ.
75. Vel decreto Concilii simpliciter asseritur.
76. Jurisdictionem immediatam à Christo accipit Papa.
77. Secundum aliquos etiam Episcopi.
78. Contrarium ostenditur ex SS. Literis & Canonibus:
79. Firmaturque ratione,
80. Et Solutione objectionum.
81. Episcopum Papa instar omnia, non reservata, in sua Diœcesi posse, asserentium Opinio,
82. Falsitatis convincitur ex Jure
83. Ratione,
84. Et Variorum exemplorum demonstratione:



85. Licet absolvere valeat à Censuris Eccl. non reservatis,

86. Et in Voti non reservati Eccl. dispensare.

63. **E**piscope Græcum, & à verbo ἐπισκοπῆν derivatum, nomen, si e-  
tymon, Speculatorem, can. 1. pr.  
V. Ordo verò dist. 21. vel Super-  
intendentem, can. Qui Episcopatum 8. q.  
1. Si dignitatem & officium inter Chri-  
stianos receptum spectemus, significat  
Prælatum diocesanum, qui in certo ali-  
cujus provincie districtu præest clero &  
populo, actuümque in sacris exercendo-  
rum totiusque disciplinae Ecclesiasticæ  
conservandæ sollicitudinem & curam sus-  
cepit, V. cit. & Ordinarii nomine sim-  
pliciter prolatò, solus intelligi hodie solet,  
Tholosanus Syntag. lib. 15. cap. 2. n. 6.  
& Vallens. ad hanc Rubr. §. 2. n. 2.

64. Porro, Episcopi jus & potestas tota  
consistit in duplici Legè. Una Vocatur Ju-  
risdictionis, quæ tenetur Ecclesiæ, non  
tantum Seculares, sed etiam Regulares &  
monasteria in diocesi sita, & speciali jure  
non exempta. Altera dicitur Diocesana,  
à qua Ecclesiæ Regulares sive monasteria,  
etiam ea, quæ Ordinarii jurisdictioni sub-  
jecta sunt, ipso jure eximuntur, ut cum  
Glossa in c. Dilectus 18. V. Jurisdictionis  
DD. passim notant: qui tamen excipi-  
unt capellas & parochias seculares non  
exemptas, incorporatas monasteriis, ra-  
tione quarum ista tam Diocesana quam  
jurisdictionali Episcopi Legi subji-  
ciuntur: etsi alias ab ejus jurisdictione sint  
exempta, Cochier de Jurisdic. Ordin. in  
Exempt. p. 1. q. 15. n. 8. & Laiman in c.  
Conquerente 16. n. 1.

65. De harum Legum Episcopaliū ex-  
plicatione olim hodièque inter DD. con-  
certatio fuit. Mihi retinenda videtur ea,  
quam tradit cit. Glossa & Hostiens. in c.  
cit. V. Jurisdictionis & alii Interpp. An-

tiquiores: secundum quos ad Legem Diœ-  
cesanam spectant ea, quæ ex parte Epi-  
scopi ferè in recipiendo consistunt: cu-  
jusmodi sunt Cathedraticum sive Syno-  
daticum duorum solidorum annorum,  
can. Inter cetera 10. q. 3. subsidium Cha-  
ritativum, c. Cùm, Apostolus 6. §. Probi-  
mus de Censibus, quarta pars decimatio-  
num, c. Conquerente cit. & c. De quar-  
ta 4. de Præscript. quarta mortuario-  
rum, c. Conquerente cit. sive, ut etiam  
vocatur, Portio Canonica Episcopo debi-  
ta ex legatis & oblationibus factis in Ec-  
clesiis, fitis intra diocesan: ad quam eti-  
am tenentur monasteria, saltem non ex-  
empta, c. Requisti 15. V. Secus autem  
de Testament. nisi sublata Consuetudine,  
vel contra eam sit præscriptum. Præterea  
Procuraciones, sive moderata victualia ab  
Ecclesiis, etiam Regularibus, præstanda  
Episcopo visitanti, c. Conquerente cit. &  
c. Sopite 14. de Censibus: quæ tamen;  
quòd Visitationi annexæ & accessoriæ, c.  
Cùm Venerabilis 21. Rubr. cit. & propte-  
rea etiam à monasteriis Episcopo subje-  
ctis præstandæ sint, c. Sopite cit. ab aliis  
ad Legem Jurisdictionalem revocantur.  
Demum convocatio ad Synodum, c. Quod  
super 9. de Major. & Obed. etsi in recipi-  
endo non consistat, & hodiernò jure,  
monasteriorum non exemptorum Abba-  
tes à Synodo non eximantur, ut ex c.  
Quod super cit. & c. Ut Apostolica 6. de  
Privileg. in 6. cum Sylvestro V. Conci-  
lium 9. 6. desumit Laiman l. cit. n. 3. &  
in c. Quod super cit. n. 1.

66. Lex Jurisdictionalis ex parte Episcopi  
ferè in dando seu faciendo consistit; ad  
eam enim spectant Primò ea, quæ Epi-  
scopus facit ratione Ordinis Episcopalis,  
ut sunt collatio Ordinum, consecratio  
Ecclesiarum, benedictio Abbatum, Con-  
firmationis aliorumque Sacramentorum  
administratio & similia, Azor p. 2. Instit.  
lib. 2. cap. 32. q. 2. accipitur enim hic Ju-  
risdictio.



risidictionis nomen latè, prout etiam includit potestatem Ordinis, quam regulariter in suos duntaxat subditos exercet, ut notat Engel *ad Rubric. de Majorie. n. 36.*

57. Secundo, Potestas per se vel per alios cognoscendi & pronuntiandi de omnibus causis totius dioceseos, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, *c. Conquerente cit. & c. Cum Episcopus 7. in 6.* ut cum omnibus inferioribus & non exemptis, præsertim secularibus Prælatibus, jurisdictionem Fori externi ipsi subordinatam obtinentibus, cumulativè concurrat, & inter eos locus præventioni, atque in optione actoris sit, reum coram Episcopo vel inferiore Prælato convenire, *arg. l. fin. C. de Jurisd. Innocent. in c. Quando 7. Panormit. in c. Si quis contra 4. de Foro compet. n. 50.* Nisi tamen hujusmodi Prælatus in certa aliqua diocesis parte vel Ecclesia privativè, hoc est, Episcopò exclusò, exercendam jurisdictionem privilegiò vel præscriptione obtinuisse, sicut colligitur ex *c. irrefragabili 13. pr. V. Excessus & ibi cum Glossa V. Per Capitulum tradunt Panormit. n. 1. & Laiman n. 2.*

68. Tertio, ex lege Jurisdictionali Episcopo competit correctio & reformatio morum & inquisitio punitivè criminolorum clericorum, non tantum secularium, sed etiam Regularium non exemptorum, si graviorum criminum sint rei, *c. Licet 12.* quin etiam ipsorum laicorum, saltem quoad crimina ad forum Ecclesiasticum pertinentia, ut sunt Hæresis, Simonia & adulterium, quando de eo agitur ad divortium, *c. 1. & c. Irrefragabili cit. Panormit. in c. Quando 7. n. 5. Sylvester V. Obedientia q. 8. & Pirhing ad hanc Rubr. n. 56. & 57.*

Neque obstat quòd Religiosi, etiam non exempti, obedientiam non voverint Episcopo, sed Prælato tantum suo Regu-

lari; quia licet huic tantum subjectione ratione Voti; & propterea in iis, quæ disciplinam & observantiam Regularum concernunt, sicut obedientie sic etiam correctioni punitivè Prælatus sui Regularis potius quam Episcopi subijciatur, ut cum Panormit. *in c. Quando cit. n. 4.* tradit Sylvester V. Obedientia q. 1. in iis tamen, quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam & punitivè graviorum criminum, præsertim quæ merentur depositionem, perinde ut alii diocesis clerici subiecti sunt Legi jurisdictionis, ut cum iisdem docet Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 1. n. 13.* Quin etiam, si Prælatus non exempti in disciplina Regulari condempnanda & quotidianè etiam ac minoribus excessibus corrigendis post monitionem negligentes sint, illos corrigendi potestatem ad Episcopum devolvit, neque facile negabit; cum eam ob causam potestatem monasteria Visitandi & in disciplina Regularis observantiam inquirendi habeant potestatem, ut habetur *c. Quando 7. & ibi Laiman n. 4.* advertit cum Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 15.*

Quarto, ex eadem lege advertitur obedientes & contumaces, si spirituali & Ecclesiasticà potestate non proficiant, officiales ac ministros adsciscere, coramque operà latas in illos sententias exequi, *Polinus in c. Cum sit 8. de Foro compet. n. 20. & Menoch. de Arbitr. casu 384. n. 70. & c.* si opus esse vel expedire videatur, secularis brachii auxilium implorare Episcopi possunt, *c. 1. & c. Quando 1. in fine Covarruvias Practic. cap. 10. n. 1. & c. Menoch. casu 472. n. 4.* imò, si legitime imploreat hoc auxilium indebitè denegetur, iudices seculares ad id exhibendum propositis censuris compellere, ut de iudice delegato dictum est *Tit. 29. n. 70.* Ubi tamen

Dubium est, cujus secularis iudicis auxilium



auxilium debeat implorare. Ratio dubitandi est; quòd à delegato Apostolico invocari valeat auxilium curiæ vel judicis secularis cujuscunque. Verùm alia istius, alia Ordinarii judicis ratio est; eùm enim ejusmodi delegatus in causa sibi commissa gerat vices Papæ, cujus territorium totus mundus est, *can. Cuncta per mundum* 9. q. 3. Panormit. in c. *Significasti* 7. de *Offic. deleg. n. 7.* hac in re à delegato isto perperam arguitur ad judicem diocesis Ordinarium: & huic in propria tantùm diocesi existenti, & propriæ diocesis judicem secularem invocandi potestas adstruitur. Ratio prioris est; quia brachii secularis auxilii imploratio, eùm ad executionem sententiæ & præcepti judicialis contra contumaces fiat, pertinet ad jurisdictionem contentiosam, quæ extra territorium exerceri non potest: licet is, in quem exercetur, in territorio existat, *c. fin. de Constitut. in 6. §. 1. ff. de Jurisdic. Posterioris* verò; quia jurisdictionem suam in non subditum exercere, eùmque renuentem ad brachii sui auxilium exhibendum compellere non potest, *arg. c. §. 1. cit.* Quare, eùm auxiliò, ab alterius diocesis judice exhibendò, opus Episcopo est, recurrendum ei est ad Episcopum ejus diocesis, in cujus subditum facienda est sententiæ executio, *arg. c. Postulasti* 14. de *Foro compet.* eùm enim sententia, ab Episcopo lata in clericum diocesis alienæ, executioni mandari non nisi per proprium ejus Episcopum possit, *c. cit. §. c. 1. §. Contrabentes eadem Rubr. in 6.* etiam ad brachii sui auxilium, pro executione sententiæ exhibendum, per proprium suum Episcopum requirendus & compellendus est secularis judex diocesis alienæ, *Castro de Manu Reg. p. 2. cap. 25. n. 10. & Oliva de Foro Eccles. p. 2. q. 24. à n. 41. Unde*

Dubium aliud nascitur, an vicissim judex secularis contra subditos suos contumaces ac rebelles vel contra clericum, actorem, in causa reconventionis condemnatum per sententiam, quæ transit in rem judicatam, pro istius executione implorare valeat auxilium judicis Ecclesiastici. Quæ in re, utrumque judicem omnino parem esse, ait Cancer. *Variar. resol. cap. 19. Tit. de Invocat. brach. n. 2.* eùm enim sententiæ suæ executio competat utrique, quando ista auxilium exposcit alterius, iste ad id brachio suo exhibendum alteri tenebitur. At, esto quoad legitime implorati auxilii exhibendi obligatione pares sint; quòd æquitas postulet, ut utraq; potestas per altera adjuvetur, *can. Cùm ad verum 6. dist. 96. Gloss. in c. 1. V. Publicum Sibi* Panormit. n. 14. latum tamen quoad implorandi modum & exhibitionem inter Ecclesiasticum & secularem judicem discrimen intercedit; eùm enim spiritualis & Ecclesiastica potestas altioris ordinis quàm secularis, & in spiritualibus hæc illi subdita sit, Ecclesiasticus secularem judicem, brachii sui auxilium legitime imploratum denegantem, ad id exhibendum per censuras compellere potest, *c. §. fin. de Maledicis*, non vicissim Ecclesiasticum secularis: cui proinde contra illum, brachii sui auxilium exhibere indebitè renuentem, adeundus Metropolitanus & ab isto petendum est, ut Episcopum ad illud sibi, per censuram in contumaces ac rebelles prolationem, exhibendum compellat, *Glossa in c. fin. V. Per superiores de Except. in 6. ubi Anchoran. not. ult. Panormit. in c. 1. cit. n. 11. Jason in l. A. divo 15. §. 1. ff. de Re judic. n. 16. cit. Covarruv. cap. 10. n. 1. & Oliva q. 24. n. 53.*

Quintò, ad eandem Jurisdictionis 71. Legem spectat potestas ferendi censuras in contumaces & inobedientes juriumque in poenis



Episcopalia violatores, *c. 1. de Offic. deleg. & c. Conquerente cit.* iisque & aliis delinquentibus privationis, depositionis & alias poenas Ecclesiasticas pro qualitate criminum, secundum SS. Canones & receptas consuetudines, infligendi, *c. cit. & c. At si clerici 4. pr. de Judiciis*, ubi Panormit. *2. n. 33.* contra hæ ab ipsis Episcopis secundum Jus infligitæ, sed etiam, cum ipso Jure & factò contractæ sunt, absolventi aliasque poenas relaxandi, *c. At si clerici cit. §. De adulteriis*, Panormit. in *§. cit. n. 4.* Nisi absolutio vel relaxatio specialiter sit reservata, *c. Nuper 29. de Sent. excommunicat.*

Neque obstat; quòd Episcopus in poenis à Jure latis nequeat dispensare, secundum Glossam communiter receptam in *c. Cupientes 16. V. Suspectos de Elect. in 6.* quia inferior, sicut legem superioris, sic etiam ejus transgressoribus infligitam à lege poenam, sine speciali Juris aut hominis commissione vel permissione, nequit relaxare, Felinus in *§. De adulteriis cit. n. 4.* Non, inquam, hoc obstat; quia Episcopus, licet dispensare nequeat in poenis puris & vindicativis, à Jure inflictis, v.g. in irregularitatibus ex delicto, nisi in casibus à Jure vel superiore concessis; relaxare tamen potest poenas Medicinales, v.g. excommunicationem ad rei contumacis correctionem à Jure latam, sed non reservatam; quia relaxatio sive absolutio à censuris, sicut secundum Juris præscriptum ab homine, sic etiam à Jure inflictis & non reservatis, non est contra Jus; ac proinde Episcopo in utroque foro permessa, *arg. c. Nuper cit.* quia conditor canonis, eò ipso; quòd censuras quasdam suæ absolutioni specialiter non reservet, absolutionem ab excommunicatione sibi non reservatam diocesum Ordinariis permittere videtur, Navarrus

*Manual. cap. 27. n. 39. Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 12. n. 4. Gurtierrez & Canon. lib. 1. cap. 5. n. 1. & Barbosa in c. Nuper cit. n. 11.*

Secundum aliquos etiam, factum in Germania nostra, tam clericos quam laicos, in hæresin lapsos, dummodo Hæresiarchæ non sint, hæresin abjurantes, ab excommunicatione Papa reservata absolvere possunt: de quo sensum nostrum *Lib. 5. Tit. 7.* exponemus.

Sextò, Visitatio annua omnium totius diocesis Ecclesiarum, Secularium & Regularium non exemptarum, eorum etiam, quæ monasteriis aliisque locis exemptis unitæ, sed quoad populum jurisdictioni Episcopi sunt subiectæ: Hospitalium quoque & aliorum locorum collegiorum, secundum Trident. *Sess. 7. cap. 7. & Sess. 21. cap. 8. de Ref.* quem Episcopus per se aut per Vicarium generalem aliòsve, ad id idoneos & specialiter deputatos, obire potest, *can. Episcopus 10. q. 1. & c. Conquerente cit.*

Septimò, Institutio in beneficiis Ecclesiasticis, prout institutionis nomen non solum ad illa presentatorum vel nominatorum approbationem, sed etiam confirmationem electi & liberam illorum collationem complectitur: uti etiam de institutio, sive depositio & remotio ab iisdem, *c. Conquerente cit. & c. Clon in injuncto 12. in fine de Heret. super quibus juribus respectu omnium totius diocesis Ecclesiarum & beneficiorum Jure fundatam habet intentionem, can. Omnes Baslica 16. q. 7. & c. Conquerente cit. & ibi Panormit. n. 2. & super posteriore ita; ut quantumvis institutio ex privilegio vel prescriptione ad alium pertineat, destitutio tamen, nisi etiam ipsa specialiter acquisita sit, ad Ordinarium spectet, ut in *c. cit.* cum Felino & aliis docet Fagnanus n. 19.*



73. Octavo, Potestas condendi statuta  
sive leges Dioecelanas, juxta dicta *Tir.*  
*28. n. 22.* & non tantum in ejusmodi à  
se suisve antecessoribus latis: sed aliquan-  
do etiã in lege Ecclesiastica universali dis-  
pensandi; quando scilicet ipsa lege expres-  
sum, vel Consuetudine legitime præscriptã  
est permiffum; sic enim in irregularita-  
tibus ortis ex delicto occulto, in impe-  
dimentis conjugiorum solummodo im-  
pedientibus, exceptis Castitatis & Re-  
ligionis votis, & certis, v.g. urgentis spe-  
cialis & magna necessitatis casibus, et-  
iam in dirimentibus, in Festis & Jeju-  
niis lege Ecclesiastica introductis, in de-  
fectu Natalium ad Ordines minores &  
beneficia simplicia, in juramentis & vo-  
tis non reservatis, &c. dispensare Episcopi  
passim solent, Pirrhing *ad hanc Rubric. n.*  
*87. & 88.* & Engel *cit. Tir. 33. n. 53.*

74. Dubium hic est, an Episcopus di-  
spensare valeat, quoties lege Ecclesiasti-  
ca dicitur, posse dispensari impersonali-  
ter, hoc est, eò, à quo dispensari vale-  
at, non expressò. Ratio dubitandi  
desumitur ex *c. Cùm ex eo 34. de Elect.*  
*in 6. & c. 1. de Esat. & qual. in 6.* ubi  
concessa facultate dispensandi additur *Ab*  
*Episcopis*: quã additio nihil operaretur,  
si etiam, cùm id non additur, dispen-  
sare possent. Nihilominus dispensandi  
facultatem, canone aliquò vel etiam Con-  
cilii Generalis decretò impersonaliter con-  
cessam, etiam Episcopos spectare, cum  
Glossa *fin. in c. In quibusdam 12. de Pœ-  
nis, in §. De adulteriis cit.* docent Fel-  
linus *n. 1. Panormit. n. 5. Ant. de But-  
trio n. 17. Sylvester V. Dispensatio q. 9.*  
*Covarruv. cit. p. 1. §. 7. n. 8. & San-  
chez Lib. 8. de Matr. disp. 5. n. 1.* Ra-  
tio est partim; quòd aliàs verba, di-  
spensationem impersonaliter permitten-  
tia, nihil operarentur; cum enim à ca-  
nonis conditore Papa in lege sua dispen-

fari posse, aliàs constet, otiosa forent, si  
de Episcopis intelligi non possent: par-  
tim verò; quòd, licet ipsa dispensatio,  
tanquam Juris relaxatio, & propterea  
odiosa, strictè: facultas tamen dispen-  
sandi interpretanda sit latè; cùm, hoc  
ipsò; quòd Jure concessa, ei sit conformis  
& nulli præjudicium afferat, præter-  
quam concedenti, istiusque sit favor ac  
beneficium, patiens latè interpretatio-  
nis, *c. Cùm dilecti 6. de Donat. c. Olim*  
*16. de V. S. & l. Beneficium 3. ff. de Con-  
stit. Princip.*

Ratio in contrarium allata exiguam  
vim habet; quia sæpe in concessione  
exprimuntur Episcopi, ut omnis dubi-  
tatio tollatur: & quod his conceditur,  
sibi non arrogat alii, *arg. l. Qui mu-  
tuam 56. pr. ff. Mandati & l. Quæ dubi-  
tationis 81. ff. de R. l.* Sed hinc

Dubium aliud oritur, an dispensan-  
di facultas Episcopis concessa etiam in-  
telligatur, decretò Conciliari, dispen-  
sari posse, simpliciter asserente; id enim in  
*§. De adulteriis cit.* negant Ant. de But-  
trio *n. 17. Decius n. 32. limit. 2. & Bar-  
bosa de Offic. Episc. alleg. 83. n. 23.* quòd,  
cùm decreta Conciliorum generalium  
magnã deliberatione concipiantur, cre-  
dibile non sit, ejusmodi verbis simplici-  
ter prolatis dispensandi facultatem Epi-  
scopis concessam, præsertim cùm, di-  
spensandi facultate his denegatã, verba  
illa non careant effectu; quòd iis Papa  
moveatur ad dispensationis gratiam faci-  
lius concedendam. Sed hoc levius est, quàm  
ut hac in re inter canonem Apostolicum  
& Conciliarem discrimen evincat: cùm;  
quia etiam canones & Constitutiones A-  
postolicæ non nisi præviã deliberatione  
magnã conceptæ promulgantur: tum  
verò; quia ad concedendam dispensatio-  
nis gratiam Papa solã qualitate & verita-  
te causæ movetur, eamque non minus  
facile



facile in decreto Conciliari, quam Apostolica constitutione concedit. Quare melius dispensandi facultatem, etiam decreto Concilii generalis simpliciter concessam, Episcopis prodesse, docent *cit. Sanchez disp. 5. n. 5. & Palao Tract. 3. disp. 6. p. 5. n. 3.* qui tamen recte hujus & præcedentis dubitationis Resolutiones restringunt ad canonem, præceptum, prohibitionem & poenam Episcoporum subditis, non ipsis Episcopis imponentem: sicut *vg. c. Super eo 2. de Bigamia Episcopo, ad Ordines promoventi bigamum, pœna privationis officii & potestatis ordinandi imponitur cum clausula, dispensari cum ipso permittente: quâ concessâ dispensandi facultas utique solum ordinantis superiorem, non ipsum Episcopum Ordinantem spectat; ne superioris legem in proprio facto & in suam utilitatem relaxandi à recta ratione aliena facultas ei tribuatur, Pontius Lib. 8. de Marim. cap. 6. n. 6. & Palao cit. n. 3. in fine.*

Quæ in suis Episcopi, eadem cæteri Episcopalis Ordinis Prælati in propriis suis diocesis, tanquam immediati earum Ordinarii possunt; quod, sicut apud omnes indubitatum, sic

76. Dubium est, an jurisdictionem sibi competentem immediatè habeant à Christo. Eam ab hoc immediatè conferri summo Pontifici, desumi solet ex verbis, *Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam &c. & Tibi dabo claves Regni cælorum, Matth. cap. 16. v. 19. & Pascite oves meas, Joan. cap. 21. v. 17.* Ratio est; quia Papæ dari nequit ab electoribus; cum jurisdictionem Papalem, sive Christi in terris Vicariam potestatem, neque electores, neque alius quisquam habeat: & id, quod non habet, dare nemo possit: & propterea, præviâ canonicâ electione tanquam conditione Si-

ne qua non, illam conferri & immediatè à Christo accipi, sit necesse, Bellarmin. *Lib. 4. de Summo Pontif. cap. 23. & Barbosa de Offic. Episc. p. 1. Tit. 3. cap. 1. n. 21.*

An idem statuendū sit de Episcopis cæterisque Episcopalis Ordinis Prælati, controversia est inter DD. Jurisdictionem enim his quoque à Christo immediatè conferri, Calstro *Lib. 2. de Hæres. punit. cap. 24. Victoria de Pœni. Papa Releth. 2. q. 2. à n. 27. & alii sententiam; cum propter illud S. Pauli, Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, Actor cap. 20. v. 28, tum verò; quod Episcopi successerint in locum Apostolorum, can. In novo 2. v. Ipsi quoque disp. 21. can. fin. disp. 68. & Trident. disp. cap. 4. v. Proinde, de Sacram. Ord. Apostolis autem omnem jurisdictionem à Christo immediatè collatam, can. et verbis, Sicut misit me Pater & ego mitto vos, Joan. cap. 20. v. 21. & tractat Bellarmin. *Lib. 4. de Summo Pontif. cap. 23. in fine ex TT. & ex ICT. Covarruvias in Reg. Peccatum p. 2. §. 9. n. 5. v. Quamvis.**

Nihilominus ejusdem Bellarmin. *Lib. 4. cap. 24. Suarez de Pœni. disp. 21. n. 1. n. 10. Molina Tract. 8. de I. & I. disp. 4. à n. 1. Barbosa cit. cap. 1. à n. 18. Pagnani in c. Perniciosam 1. h. c. à n. 23. & cæterorum, tam TT. quam Canonistarum, sicut communissima, sic & verissima sententia, licet perinde ut Ordinem Episcoporum, sic etiam officium & spirituales jurisdictionem eorum in genere à Christo immediatè institutum esse, inficias non eat: illud tamen & illam huic vel illi personæ, respectu alicujus districtus fidelium, immediatè à Romano Pontifice, tanquam B. Petri successore & Christi in terris Vicario, pro utroque foro conferri, docet idque desumit*

Primo,



Primò, ex Divinis Oraculis, *Tibi dabo claves Regni caelorum Sc. Pasce oves meas Sc.* ante relatis; ex illo, *Fiet unus Ovis & unus Pastor.* Joan. cap. 10. v. 16. & similibus, satis perspicue denotantibus solum B. Petru: qui ejusque successores soli à Christo assumuntur in potestatis Plenitudinem: ipsi verò cæteris Ecclesiarum Prælati Sollicitudinis suæ partem duntaxat committunt, *can. Qui se scit 2. q. 6. Sc. c. Ad honorem 4. de Auth. Pall.*

Secundò ex variis functionibus Ecclesiasticis: ex quibus constat sedes Patriarchales Archi- & Episcopatus omnes à Romana sede & à B. Petro istiusque successoribus erectos, distinctos & institutos, *can. fin. dist. 11. can. Omnes 1. dist. 22. can. Urbes 1. dist. 88. can. Provincie 1. Sc. dist. 99. Extravag. Unic. inter com. de Offic. deleg. & pro rerum exigentia extendi, uniri, dividi, can. Decimas 49. can. Postquam 16. q. 1. can. Ita nos 25. q. 2. Sc. c. Sicut unire 8. de Excess. Præl. illos Episcopis à summo Pontifice assignari, can. Ecclesias 13. q. 1. & hujus solius autoritate auferri, can. Accusatus Sc. 3. q. 6. hosque ab uno Episcopatu ad alterum transferri, c. 1. c. Inter 2. Sc. de Translat. Episc. Sc. c. Quod translatione 4. de Offic. Legat. ob eam enim causam Romana & Apostolica sedes iisdem vocatur Prima, Caput, Cardo & Princeps aliarum Ecclesiarum ita; ut, sicut ostium à cardine, à capite membra, à Principe subdita potestates, sic cætera Ecclesie ab ipsa pendeant ac regantur, potestatem accipiant & autoritatem, *can. Nolite 3. dist. 11. can. Ita Dominus 7. dist. 19. can. Sacrosancta 2. dist. 22. Sc. & ad ipsam, sicut radii ad solem, arboris rami ad radicem, rivi ad fontem comparentur; ut, sicut ab his, tanquam principiis suis, illi: sic cætera**

Ecclesie à Romana omnes ducant originem, pendeant, conferrentur, *can. Loquitur 24. q. 1.* Quibus aliisque ejusmodi loquendi formulis clarè insinuat, potestatem jurisdictionis Episcopalis, licet à Christo instituta sit, immediatè tamen Episcopis & similibus Ecclesiarum Prælati à summo Pontifice concedi, ut latè ostendit Fagnanus *l. cit. à n. 31.*

Tertiò ratione; quia, si jurisdictionis potestas Episcopis immediatè à Christo, & non ab istius in terris Vicario conferretur, illis auferri ab isto non posset, sicut auferri nequit potestas Ordinis Sacramentalis, accepta per consecrationem, in Episcopo etiam in hæresin lapsò, *can. Quod quidem 1. q. 1. depositò & degradatò permanens, secundum receptam doctrinam Archidiaconi in can. 1. dist. 4. de Consec. & Sylvestri V. Degradatò n. 9.* Cum ergo jurisdictionis non ita inhæreat, ut auferri non possit, ut patet in Episcopo Schismatico, Hæretico, excommunicatò, *can. Ait Celestinus Sc. 24. q. 1.* consequens est, eam non immediatè à Christo, sed ab homine, scilicet ex Papæ concessionem acceptam, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 39. art. 1. rectè inferunt Suarez & Bellarminus *l. cit.*

Neque refert; quòd etiam potestas Ordinis immediatè non accipitur à Christo, Episcopos non per se, sed per alios ordinante; quia nihilominus alia ratio est potestatis Ordinis & alia jurisdictionis; cum enim illa per Episcopum præcisè, tanquam per ministrum sive instrumentum Dei, conferatur, immediatè accipi dicitur à Deo; ut minui vel auferri ab homine non possit. Contrà jurisdictionis à Papa non præcisè, ut à ministro sive instrumento, sed ut à Vicario, omnem jurisdictionem ad rectam Ecclesie gubernationem necessariam immediatè à Christo acceptam obtinente, eamque



etiamque cæteris Ecclesiæ ministris communicante; ut, tanquam proximè à Papa accepta tolli vel minui ab eo possit, Azor p. 2. *Instit. lib. 3. cap. 30. q. 13. Object. 2.*

80. Ad textum & rationem in contrarium, pro Opinionum diversitate, duplex responsio est recepta. Una, jurisdictionem Apostolis immediatè à Christo concessam, cum Turcremata in *can. Ita Dominus cit. n. 9.* negantium & desumentium ex supra relatis & ad B. Petrum solum directis verbis Christi, *Tu es Petrus, Tibi dabo claves, Pasce oves meas: & ex can. cit. cuius textus est, Pastorale Officium, in B. Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocatum; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne istiusque membra diffunderentur.* Ne autem huic suæ Opinioni Actor *cap. 20. v. 28.* relata S. Pauli verba advertebantur, Episcopos regendæ Ecclesiæ in Spiritu sancto præpositos, ait, ratione Originis ipsius Officii Episcopalis, in genere immediatè instituti à Christo: in particularibus autem Ecclesiis mediante Ecclesiastica potestate iis jurisdictionem conferente. Quò sensu quosdam Apostolos, alios Doctores, alios Pastores usque ad consummationem seculi Deus posuisse, à S. Gentium Doctore dicitur, *Ephes. cap. 4. v. 11.* quantumvis non omnes immediatè, sed mediatè per Vicarios suos positos constet, ut advertit *cit. Azor Object. 1.* & ex eo Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 40.* Altera, jurisdictionem Apostolis à Christo quidem immediatè concessam, cum Covarruvia concedentium: sed negantium, eam sic conferri Episcopis modernis. Ne autem huic suæ sententiæ *cit. can. In Novo & Trident.* textus obstant, Episcopos, licet jurisdictionem proximè accipiant à Papa, nihilominus Apostolis successisse, ajunt,

ratione Ordinis Episcopalis: & sicut unus Episcopus succedit alteri, licet jurisdictione ei non ab Antecessore, sed à Papa conferatur: vel; quòd, sicut Apostoli ex speciali electione Christi Dominici, sic ex istius Vicarii assumptione constituti sint Principes Ecclesiarum & Tribunalium Ordinarii Judices ac Pastores, Barbosa *cit. cap. 1. n. 34.* Ex quibus

Plana evadit Resolutio dubitationis, de veritate propositionis, *Episcopi, in sua quisque diocesi possunt omnia, quæ in universo orbe Christiano Papa: nisi ab ipso sua dispositioni specialiter sua reservata: quam cum Abulensi in Mant. cap. 6. q. 87. pro Regula statuum Societatis Lib. 10. de Justit. q. 1. art. 3. Villota de Matrim. p. 1. n. 7. Gamba de Officiis Legati lib. 10. n. 466. & aliis compendii Sanchez Lib. 1. de Matrim. disp. 41. n. 3.* Eam autem præcipuè fundant in *2. Nov. per 29. de Sent. excom.* quò reclusa Innocentius III. absolutione ab excommunicatione Episcopo eò ipso concelebrationem intelligi, asserit; quòd à Canonis condicione specialiter non sit reservata. Retentionem reddunt; quòd Episcopis, tanquam ordinariis Pastoribus, suæ cuique diocesis regimen incumbat quoad omnia; ac proinde, quæ ejus regimen expostit, ut generaliter valeant omnia, nisi quoad aliqua eorum potestas specialiter sit restricta; ideòque, justà causâ exigente aut suadente, juramenta & vota non relaxent, & in Festorum ac Jejuniorum observatione dispensent non quòd ipsorum potestati specialiter sint permittenda: sed, quòd à superiori potestate non sint reservata ferè, sicut ordinarii confessorii subditos suos ab omnibus peccati non reservatis absolvunt.

At multò verius, propositionem illam non solum Regulæ virtute, sed veritate quoque, desitui, cum Anthonano *in c. Si-*



in *c. Sicut Unire 8. de Excess. Pralat. no-  
tab. 1. Speculat. Tit. de Legato §. 6. n.  
53;* docent Suarez *Lib. 6. de LL. cap.  
14. n. 6. Palao Tract. 3. disp. 6. p. 4. n.  
9. V. Ad ultimum*, Fagnanus in *c. Per-  
nitiosam cit. n. 29. §. à n. 55.* & commu-  
nis sententia aliorum: pro quibus aper-  
tè facit Primò textus *c. Dilectus 15. de  
Temp. Ord.* ubi Archiepiscopi dispensatio  
ab Honorio III. improbat, non; quòd  
canone aliquò prohibita: sed; quòd  
nullò permilla reperitur, luculentò  
argumentò, etiam prohibitione seu re-  
servatione seclusà, in sua diocesi Epi-  
scopos non posse omnia, quæ Papa po-  
test in universo Orbe Christiano. Se-  
cundò; quia, juxta dicta, Episcopi  
jurisdictionem suam non accipiunt im-  
mediatè à Christo, sed à summo Ponti-  
fice: ab isto autem non in Apostolica  
potestatis Plenitudine, sed in partem  
tantum Solitudinis assumuntur, *can.  
Qui se scit. 2. q. 6. §. c. Ad honorem 4.  
de Aub. Pall.* & propterea, ab isto sibi  
commissa potiùs, quàm omnia ab eo non  
prohibita vel sibi specialiter non reser-  
vata posse, meritò dicuntur. Tertio;  
quia, si Regulæ vim propositio illa con-  
tineret, Episcopis generaliter adstruenda  
foret dispensatio in quacunque lege Ec-  
clesiastica, cujus relaxatio ipsis non pro-  
hibita, & Apostolicæ sedi non esset re-  
servata, contra Regulam *can. Inferior 4.  
disp. 2. c. 1. de Confit. c. Quid super 9.  
§. c. Cum inferior 16. de Majori.* gene-  
raliter SS. Canonum observantiam & cu-  
stodiam ab omnibus exigentium, & su-  
perioris legem relaxandi inferioribus de-  
negantium potestatem.

84. Confirmantur ista; quia, licet Epi-  
scopi hodie vi reservationum aliqua, i-  
ipsis quondam permilla, facere nequeant:  
multa tamen non possunt, quæ expressè  
reservata non leguntur, & quæ non po-

tuerunt, antequam eorum reservatio seu  
potiùs Juris, ea ipsis non competere sta-  
tuentis, declaratio ulla extaret: cujus-  
modi præter Fidei Morumque doctrinam  
concernentes definitiones sunt, testandi li-  
centiam dare Religionem professò; cum  
eodem & clerico in sacris constituto di-  
spensare ad matrimonium; istius Rati,  
sed nondum consummati vinculum rela-  
xare; dispensare in cæteris conjugiorum  
impedimentis dirimentibus, præsertim  
in gradibus prohibitis in Levitico; ejus-  
modi impedimenta tollere, vel nova in-  
trodúcere; instituere censuras & irregu-  
laritates; simplici Sacerdoti committere  
Chrismationè, sacri Chrismatis confectio-  
nem & collationè Ordinum minorù; In-  
dulgentias pro vivis & defunctis concedere  
usque ad plenariam remissionem; clericor-  
um Criminales aliàsque Ecclesiasticas &  
Spirituales causas laico delegare, &  
aliæ enumeratæ à Fagnano *l. cit.* & ge-  
neraliter majores seu graviores Ecclesiæ  
causæ, ad sedem Romanam deferendæ,  
non tam vi Reservationis Apostolicæ  
quàm Divinæ institutionis, per *can. Du-  
dum 3. q. 6.* cujus textus est, *Domino  
instituyente ad eam, Ecclesiam Romanam,  
quasi ad matrem atque apicem omnes ma-  
jores Ecclesiæ cause & judicia Episcoporum  
recurrant & juxta ejus sententiam termi-  
num sumant.*

Neque cum his pugnat *c. Nuper cit.* 85.  
textus; cum enim isto excommunicatio-  
nis & peccati non reservati absolutio eti-  
am propriis sacerdotibus, seu parochis,  
adstruatur, non Episcopis duntaxat in  
diocesisibus; sed his quoque in parochiis  
suis omnia, quæ in Ecclesia universali  
Papa potest, seclusis reservationibus  
permilla, arguere liceret, si à censurarum  
& peccatorum absoluteione, *c. cit.* iis  
permilla, ad alia duci posset argumen-  
tum. Hoc autem ab illa duci non pos-  
se, ex-

R r r r

se, ex-



se, extra dubium est; quia absolutio illa non, ut dispensationes & eæ, de quibus potissimum agimus, graviores Ecclesiæ causæ pleræque, contra vel præter Jus, sed huic conformis & omnino necessaria est ad usum Sacramentorum & bonum animæ, ad quod ex sua institutione immediatè ordinatur; ut propterea, eam in casibus non reservatis generaliter permitti, specialiter expediret.

86. Non magis, quàm textus, urget ratio; quia obligationum seu debitorum, votis & juramentis non reservatis contrahentium, remissio, & dispensatio in festorum ac jejuniorum observatone, propter casuum occurrentium frequentiam, ad Ecclesiarum, seu diocesum suarum rectam gubernationem Episcopis necessaria & propterea summi Pontificis concessione, saltem tacitâ, vel rationabili & legitime præscriptâ consuetudine, ipsis merito permissa fuit: etsi eis permittæ non sint aliæ dispensationes & causæ graviores, etiam speciali aliqua reservatione non affectæ; cum istas respiciens potestas ipsis ad particularium regimen non necessaria, & universali Ecclesiæ, propter indneandæ nimiam difformitatis & confusionis aliorumque publicorum incommodorum periculum, damnosa foret.

#### ARTICULUS V.

### De Abbatibus aliisque utriusque sexûs Regularium Præpositis.

#### SUMMARIUM.

87. Abbates unde dicti.  
88. Aliqui Seculares sunt, alii Regulares:  
89. Et hi Locales vel Generales,

90. Episcopi subiecti, vel Exempti sunt.  
91. Abbatibus affines sunt alii Regularium Præpositi.  
92. Potestatem omnes Dominativam,  
93. Cum rerum temporalium administratione:  
94. Exempti jurisdictionem Ordinariam,  
95. In Conscientia interno,  
96. Et externo Foro habent:  
97. Qua est quasi Episcopalis.  
98. Non exemptorum in subditis suis.  
99. Et Episcopi in eisdem jurisdictione.  
100. Abbatibus etiam competit potestas Dominativa:  
101. Non jurisdictione Spiritualis,  
102. Hæc tamen ipsis delegari à Papa potest,  
103. Saltem sine propriè dictâ Clericorum potestate.

**E**piscopi dignitate & potestate proximè sunt Abbates: quorum nomen, ab Hebræis deducto & Latinis Patrè denotante, frequenter in antiquis scripturis, præsertim in veteri Testamento, vel Seculares vel Regulares, quorum præpositi aliquando toti Collegio Canonorum præstant, in eosque & ceteros clericos, aliquando etiam in laicos sibi subiectos Ordinariam, imò quasi Episcopalem jurisdictionem exercent, & obtinent usum Pontificalium cum annulo, mitra & baculo Pastoralis: aliquando, licet dignitatem obtineant, aliis tamen non præstant, neque ejusmodi jurisdictionem vel Pontificalium usum habent, Annot. p. 2. Instit. lib. 3. cap. 19. q. 2. Et Alcan. Tamburin. Tom. 1. de Jure Abbat. dist. 7. q. 1. à n. 6. varias Abbatum species referens. Posteriores sive Regulares etiam ipsi varii: præcipui autem, & de quibus potissimum agimus, sunt, qui alicui vel a.



99. vel etiam pluribus Regularium Conven-  
tibus vel Congregationibus præfunt: cu-  
jusmodi Abbatum rursus aliqui Gene-  
rales, qui toti alicui Religioso Ordini &  
omnibus istius Monasterii vel Congre-  
gationibus & istarum Abbatibus hisque  
subiectis Regularibus cum suprema in eos  
potestate: alii Locales, qui uni dunta-  
taxat, & ab alio ejusdem Religiosi Ordini  
Abbate dependente potestate præfunt:  
et si summo Pontifici omnes, & multi,  
etiam hodie, Episcopis, in quorum dioe-  
cesibus monasteria sunt sita, subji-  
ciantur. Unde

90. Ulterius Abbatum Regularium ali-  
qui cum suis monasteriis seu Congrega-  
tionibus Episcopis, tanquam dioecesium  
Ordinariis, subji-  
cuntur: alii verò pri-  
vilegiò Apostolicò vel aliò jure speciali  
ab illorum jurisdictione exempti & nulli  
Prælatò seculari, præterquam summo  
Pontifici, sunt subiecti.

Demum, Exemptorum Abbatum ali-  
quæ monasteria plene jure exempta &  
territorium ab Episcopali distinctum ha-  
bent; ut ipsorum monasteria, neque  
de dioecesi, neque in dioecesi, sed nul-  
lius dioecesis esse dicantur: alii verò mo-  
nasteria ita plene exempta & proprium  
territorium non habent; & propterea,  
sicut propter suam exemptionem de dioe-  
cesi non esse, sic in dioecesi esse, dicuntur,  
Barbosa *Jur. Eccles. lib. 1. cap. 17. à n. 22.*  
& Tamburinus *l. cit.*

91. Abbatibus ferè pares variarum Re-  
gularium, v. g. Canonicorum Regularium  
Præpositi: & affines sunt Conventuum  
seu Congregationum Perpetui, & ex  
parte etiam Priores Conventuales, Guar-  
diani, Rectores & alii Ordinum præ-  
sertim Mendicantium, superiores Tem-  
poranei, ut advertit *cit.* Tamburinus *q. 8. à n. 1.*

Porro, Abbatibus & cæteris Regulariis

præpositis hæcenus relatis in subditos sibi  
Regulares competit potestas duplex

92. Una Dominativa seu domestica, or-  
ta ex Voto Obedientiæ & huic acceden-  
te sui traditione, quæ se suamque vo-  
luntatem transfulerunt in Religionem i-  
stiusque Prælatos: vi cujus isti subditis  
suis quæcunque ejus, quam professi sunt  
Religionis Instituto & Regulari disci-  
plinæ conformia sunt, imperare, eorúm-  
que operibus uti possunt, Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 18. à n. 6.* uti etiam  
omnia, quæ ad Divinum cultum spectant,  
ordinare, resque & bona ad Monasteria  
& Congregationes suas pertinentia ad-  
ministrare, in & extra judicium defen-  
dere & dispensare, *can. Nullus 18. q. 2.*  
ubi Pelagius Papa *Universa*, inquit,  
*que ad utilitatem monasterii pertinent,*  
*Abbatis sollicitudo, ad quem potestatem*  
*totam pertinere convenit, debet adimple-*  
*re: cui consonat c. Edoceri 21. de Re-*  
*script. c. Monachi 2. & c. Cùm ad mona-*  
*sterium 6. de Statu Monach. uti & Regu-*  
*lariorum, eorúmque antiquissimorum*  
*Ordinum, S. Basilii Reg. 7. & 8.*  
*S. Augustini pr. S. Benedicti passim, &*  
*præsertim cap. 66. ubi S. Patriarcha ait,*  
*Nos providemus expedire in Abbatis pen-*  
*dere arbitrio monasterii Ordinationem &*  
*aliorum.*

94. Altera Spirituales jurisdictionis:  
quæ, sicut Episcopalis, ad Claves per-  
tinet, & immediatè à Christo instituta  
atque per summum Pontificem ipsis im-  
mediatè, vel mediantibus aliis Prælati-  
bus Ecclesiasticis, est communicata, Suarez  
*cit. cap. 18. n. 5.* & quia ipsis ratione di-  
gnitatis suæ & officii, ad quod per ele-  
ctionem vel aliò modò canonicè assum-  
pti sunt, competit, Ordinaria est, ut  
*arg. l. 1. ff. De eo, cui mandata & l. Mo-*  
*re 5. ff. de Jurisdictione docent Sylvester*  
*V. Prælati q. 1. & cit. Tamburinus, Tom.*  
*R r r r a 3. disp.*

R r r r a

3. disp.



3. *disp. 1. q. 4. à n. 1.* Vi cuius five Jurisdictionalis potestatis iidem Abbates &c. si exempti sunt, subditos suos Regulares

95. Imprimis in interno five Conscientia foro à quibuscunque peccatis & censuris, specialiter non reservatis, absolventi, *c. Nuper 29. de Sent. excom. eos absolventi potestatem aliis committere, vel, si Religionis conservatio & animarum salus exigere videatur, suæ absolutioni reservare possunt, observatâ tamen in huiusmodi reservatione Clement. VIII. Constitutione quæ incipit Ad futuram edita 26. Maij 1593. Laiman Tract. de Jurisdic. Ord. n. 127. & ex eo Pirrhing ad hanc Rubric. n. 130.*

96. Deinde, in Foro etiam externo in eos inquirere, delinquentes corrigere & carceris aliisque pœnis coercere, in inobedientes & contumaces excommunicationis aliâsq; censuras ferre: & si incorrigibiles sint, è monasterio expellere, vel ex Ordine ejicere possunt: & ejectos, donec respiciant, admittere non tenentur, per text; aut *arg. c. Cùm in Ecclesiis 10. de Majorit. & Obed. c. Ea quæ 8. de Statu Monach. & c. Sicut 33. de Simonia, Laiman & Pirrhing l. citr.* In eodem Foro cum iisdem, quantum Religionis statuta, praxis & privilegia permittunt, dispensare valent in observatione Regulæ v.g. in abstinentiis, jejuniis, vigiliis, operibus manuum & aliis, ex illius præscripto præstandis vel omittendis: nisi habitum & Religionis substantialia concernant, *Azor p. 1. Instit. lib. 10. cap. 20. q. 16. in fine.*

Demum, etiam in votis, juramentis & aliis casibus, in quibus Episcopi cum subditis suis diocesanis, non delegatò aut aliò speciali, sed communi Jure & tanquam diocesum Ordinarii dispensant, dispensare etiam ipsi possunt: nisi

specialiter prohibeantur, *cit. Tamburini Tom. 2. disp. 17. q. 8. n. 1. & Barbini de Offic. Episc. alleg. 39. n. 18.* Ratio est: quia in subditos suos Ordinariam, ut dictum, & hoc ipso; quod exempti sunt, quasi-Episcopalem obtinent jurisdictionem, præter ea, quæ sunt Ordinariæ, aut tione illi? vel speciali jure Episcopi competunt, faciendi potestatem tribuunt, nisi specialiter sint excepta, ut in *Clement. 1. de Reb. Eccles. alien. cum Gloriosa V. Proprii tradunt Panormit. n. 2. Labarella q. 3. n. 2. & Donatus Tom. 4. Prax. Reg. p. 1. trañ. 10. q. 3.*

Si Abbates & alii Regularium prepositi Episcopis subiecti, & non exempti sint, licet in subditos suos Ordinariam jurisdictionem in utroque Foro tiam ipsi obtineant: vi cuius sui Ordinis vel monasterii officia ipsis committuntur vel auferre, in interno ipsos absolvere vel ligare & in externo Foro delinquentes corrigere, plectere & si contumaciter inobedientes sint, censuræ cum ipsis in observatione Regulæ dispensare fere, ut exempti possint ita; ut, si officio suo ipsi fungantur, Episcopi in iis se intrmittere nequeant: licet, quia hæc omnia possint, quoad gravia tantum & publicè scandalosa crimina subditorum Regulares Episcopi potius quam ipsi subiciuntur, ut ex *can. Monasteria 18. q. 2. cum Innocentio in c. Rescripto 7. Panormit. ibid. n. 5. delictum Speyvelter V. Obedientia q. 8. n. 10. & Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 1. à n. 21.* Ex hæctenus dictis de Abbatibus

Dubium oritur de Potestate Abbatissarum, aliarumque feminarum Monialibus præpositarum: quibus, sicut in has Maternam & domesticam potestatem, ex voto Obedientie ipsi præstito, sui que traditione illi accedente, ornam, vi cuius monasteriorum res temporales admini-



adminiftrare &, quæ Regulæ conformia funt, præcipere, monafterii munera committere vel auferre, delinquentes corrigere & moderata caftigatione punire valeant, facillè concedunt: fic veram Spiritualem jurisdictionem Jure communi competere, easque illius capaces esse, cum S. Thoma in 4. dist. 19. TT. & Canonistæ passim negant, arg. c. Nova 10. de Penit. & Remiss. Ratio est; quia propriè dicta spiritualis jurisdicção spectat ad potestatem Clavium, c. fin. de Excess. Pralat. in mulieres non cadentem c. Nova 10. de Penit. & Remiss. cum præsupponat Ordinem, cujus mulieres Jure Divinò esse incapaces, ostendimus Tit. XI. à n. 44.

Neque obstat; quòd Abbatiffa Ecclesiastica beneficia clericis conferre, eosque & moniales suas ab officio & beneficio suspendere valeant, c. Dilecta 12. de Majorit. qui actus sunt Spiritualis jurisdictionis. Non, inquam, exempla hæc obstant. Primum; quia licet ea conferre valeant tribuendò beneficiorum titulum & possessionem: non tamen id facere possunt per institutionem Authorizabilem, conferentem jus exercendi curam animarum & solvendi ligandique potestatem; hanc enim nemo dat, qui non habet, ut cum Sylvestro V. Abbatiffa & aliis advertit Miranda de Sac. monial. q. 6. art. 5. conclus. I. Alterum; quia c. cit. textus accipiendus non est de suspensione propriè dicta, pendente à Clavium potestate, cujus Violatio irregularitatem inducit: sed minùs propriè accepta, sive simplici præceptò; ne celebrent, & de fructuum subtractione: eamque ob causam c. cit. in fine suspensiones Abbatiffa vocantur salutaria monita & mandata, quibus contumaciter inobedientes, tam moniales quàm clerici, excommunicari jubentur ab Abbate, non ab Abbatiffa,

non obscurò indicio, deficientis in ista propriè dictæ jurisdictionis Spiritualis, ut in c. cit. notant Panormit. n. 5. Barbosa n. 5. & Gonzalez n. 10. in fine. Eandem ob causam foeminae etiam Religiosæ, sicut censuram propriè dictam ferre, sic ab ista quomodocunque contracta absolvere, jure saltem ordinariò, non possunt, ut clarè supponitur c. De monialibus 33. de Sent. Excommunicat. Unde

Dubium ulterius est, an foeminae jurisdictionis Spiritualis incapaces ita sint; ut hæc ipsis à Papa nequeat delegari. Quod desumi videtur partim ex c. Nova cit. ubi clarè habetur, ipsas potestatis Clavium, ad quam illa spectat, incapaces esse Jure Divinò: partim ex præxi Ecclesiæ, à qua mulieribus nunquam legitur concessa: & ipsi etiam Beatissimæ Virgini matri suæ à Christo communicata non fuit, minimè dubiò argumentò incapacitatis.

Sed veriùs est, à Papa de Apostolicæ potestatis Plenitudine delegari eis posse aliquam Spiritualem jurisdictionem, quæ potestatem Ordinis non includat: cujusmodi est potestas condendi legem, ferendi censuram, dispensandi in voto &c. ut ex aliorum TT. & Canonistarum sensu docet Suarez disp. 2. de Censur. s. 3. n. 7. & ipse Doctor Angelicus in 4. dist. 19. ubi feminis, licet neque Ordinis, neque Jurisdictionis Claves permittat, aliquem tamen istarum usum à Papa delegari posse, concedit; cum enim ejusmodi jura spiritualia ex communi DD. sententia, teste Palao Tract. 29. disp. 1. p. 4. n. 5. de Papalis potestatis Plenitudine communicari valeant laicis, etiam foeminis, saltem in casu aliquo extraordinario, poterunt concedi: sicut S. Catharina Senensis ex concessione Gregorii XI. coram sacro Purpuratorum PP. collegio aliquoties habuit Conciones.

Rr rr 3

Neque



Neque obstat; quòd prædicandi munus foeminis interdictum ab Apostolo sit, 1. Corinth. cap. 14. v. 34. & 1. Timoth. cap. 2. v. 12. quia non ita simpliciter interdictum est, ut, sicut ordinariè & ex officio, sic etiam casu aliquò extraordinariò ipsis permitti non possit ex commissione Papæ, in præcepto Apostolico dispensantis, ut in *cit. cap. 14.* notat Salmeron apud *cit. Tamburinum de Jure Abbatiss. disp. 32. q. 18. n. 4.*

103. Unde *c. Nova cit.* intelligendum est de usu potestatis Clavium, dependente ab Ordine: cujusmodi est Sacramentalis absolutio: non autem de ejus usu in

casu extraordinario, competente ex speciali delegatione, Tamburin. *disp. cit. q. 4.* & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. Tract. 8. q. 5. n. 3.* qui tamen *q. 9. n. 7.* advertit casu, quò laico aut foeminae Sacerdotii jurisdictione, v.g. excommunicandi potestas specialiter delegatur, laicum & foeminam tantum se habere, ut conditionem, ad cuius præsentiam & voluntatem excommunicatio infligitur à Papa, fere sicut, quando laicus aut foemina tempore Jubilæi legit Confessarium, huic absolventi potestatem, non ille aut ista, sed ad ipsorum electionem Papa concedit.



## TITVLVS XXXII.

### De Officio Judicis.

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Ratio Ordinis.</li> <li>2. Definitio Judicii &amp; Jurisdictionis.</li> <li>3. Hac Ecclesiastica est vel Secularis:</li> <li>4. Voluntaria vel Necessaria:</li> <li>5. Ordinaria vel Delegata.</li> <li>6. Hanc ab illa discernendi quatuor Regula.</li> <li>7. Jurisdictio aliqua simpliciter, alia Imperium vocatur:</li> <li>8. Judicii Officium Mercenarium, vel Nobile est:</li> <li>9. Quorum illud subservit actioni:</li> <li>10. Hoc per se stat,</li> <li>11. Et motu proprio,</li> <li>12. Vel ad instantiam partis, Actionem non habentis, exercetur.</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>13. Hoc casu litis contestationem non exigit:</li> <li>14. Nisi contra certam personam principaliter,</li> <li>15. Et non incidenter tantum, impetretur.</li> <li>16. Jurisdictio vel Simplex, vel Imperium</li> <li>17. Et hoc Merum vel Mixtum est.</li> <li>18. Illud publicum, hoc privatum virtutem spectat.</li> <li>19. Utrumque, de Jure etiam Canonico, datur:</li> <li>20. Et acquiritur Juri vel Principi concessione.</li> <li>21. Delegatione, etiam inferiorum,</li> <li>22. Saltem de Jure Canonico:</li> <li>23. Denatur</li> </ol> |
|--|--|